Harvard College.
1869.

DE

DIODORI SICVLI FONTIBVS

COMMENTATIONIS CRITICAE

CAPITA QVATTVOR.

SCRIPSIT

GVILIELMVS COLLMANN

MARBVRGENSIS.

LIPSIAE

FORMIS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLXIX.

1872, June 25.
Salisbury Fund.

PRAECEPTORIBVS SVIS SVMME VENERANDIS

CVRTIO WACHSMVTH

PHILOS. DR., HISTORIAE P. P. O.

LEOPOLDO SCHMIDT

PHILOS. DR., PHILOLOG. P. P. O.

IVLIO CAESAR

PHILOS. DR., PHILOLOG. ET ELOQUENT. P. P. O.

HVNC LIBELLVM GRATI ANIMI TESTIMONIVM VVLT ESSE

AVCTOR.

Singulorum capitum argumenta.

I.

Non Diodorum sed Ephorum Thucydide usum esse demonstratur.

Hoc tempore haud scio an nulla quaestione eorum, qui in literis Graecis versantur, animi magis sollicitentur quam hac, num scriptum illud nuperrime e codice Parisino excussum, quod Wescher Aristodemi nescio cuius nomine insigniendum esse putavit, antiquis temporibus compositum sit, qua de re ut recte iudicemus, imprimis id est respiciendum, num ea ratio, qua Aristodemus ille, qui vocatur, opusculum suum consarcinavit, conspiret et congruat cum ea consuetudine, quam veteres scriptores in narrandis iis rebus, quibus ipsi non interfuere, secutos esse satis constat.

Legentes enim libellum illum — nescio utrum graecum nominem an barbaricum — non possumus non summam admirari curam atque diligentiam, qua ceterorum scriptorum operibus ita usus est Aristodemus, ut Germaniae, qualis ante hos paucos annos fuit, tabulam geographicam conspicere nobis videamur. Quid, quod ad unum enuntiatum formandum haud semel plures fontes sunt adhibiti. Id vero tantum abest, ut cum veterum in scribendo ratione congruat, ut prorsus ei sit contrarium; quod pluribus exponere minime est necessarium, cum inter omnes, qui in hoc literarum genere versantur, satis constet, veterum scriptorum res, quae ipsorum aetate non gestae sunt, narrantium eam fuisse consuetudinem, ut unum plerumque ducem sequerentur, uno scriptore tamquam fundamento uterentur.

Hac autem ratione minorum sane gentium scriptores Diodorum, Plutarchum, Appianum, Livium, minime maiores usos esse ne quis dicat, vel eum, quo praeter Theopompum et Thucydidem Graecia nullum tulit rerum scriptorem neque diligentiorem neque eloquentiorem, Ephorum dico, in bello Peloponnesiaco

narrando ita Thucydidem esse secutum, ut vel verba eius in suam narrationem reciperet, recte mihi videor hac prima dissertationis meae parte esse demonstraturus.

Diodorus enim Siculus libris XII et XIII bellum Peloponnesiacum ita describit, ut, quamquam plerumque inter eum et Thucydidem magna et rerum et verborum extat similitudo, tamen non ex ipso Thucydide, sed ex alio scriptore haec desumta esse appareat [1]). Atque primum quidem Diodorus l. XII capitibus 38 et 39, qui factum sit, ut bellum inter Lacedaemonios et Athenienses exoreretur, quaerens Alcibiadis pueri isto consilio et Phidiae atque Anaxagorae exitu Periclem commotum esse exponit, ut sui servandi causa bellum conflaret; quae ineptiae atque calumniae apud Thucydidem non inveniuntur, quippe qui solus, quantus et qualis Pericles fuisset, recte perspexerit. Ea vero verba, quibus capite 40 apud Diodorum Pericles, quantae sint Atheniensium facultates demonstrat quamque bene omnia ad bellum sint instructa atque parata, simillima sunt iis, quae apud Thucydidem l. II cap. 13 inveniuntur.

Thucyd.	Diodor.
θαρσεῖν τε ἐκέλευε προσιόντων μὲν ἑξακοσίων ταλάντων ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ φόρου κατ' ἐνιαυτὸν ἀπὸ τῶν συμμάχων ἄνευ τῆς ἄλλης προσόδου, ὑπαρ-	ἐκείνων δὲ ὄντων μυρίων ταλάντων πρὸς τὴν κατασκευὴν τῶν προπυλαίων καὶ τὴν Ποτιδαίας πολιορκίαν τετρακισχίλια τάλαντα ἀπα-

1) Huic sententiae id adversari videtur, quod Diodorus ipse Thucydidem et l. XII cap. 37 his verbis Θουκυδίδης δὲ ἐντεῦθεν ἀρξάμενος ἔγραψε τὸν γενόμενον πόλεμον Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις et l. XIII cap. 42 his commemorat τῶν δὲ συγγραφέων Θουκυδίδης μὲν τὴν ἱστορίαν κατέστρεψε περιλαβὼν χρόνον ἐτῶν εἴκοσι καὶ δυοῖν ἐν βιβλίοις ὀκτώ κ.τ.λ. His vero verbis Diodorum se Thucydidis libros inspexisse indicare quis est qui dicat? Latius autem patet tota haec quaestio. Plerumque enim Diodorus eos scriptores nominatim affert qui de ea aetate, quam ipse describit, egerunt (cf. l. XI, 37, XII, 71, XIII, 42 etc.). Et profecto a Diodoro omnes eos scriptores, quos ita nominat, excerptos esse, Heynius (comment. gott. societ. vol. V et VII) Niebuhrius (*Vorträge über alte Geschichte*) Droysenius (*Geschichte des Hellenismus*) statuerunt, quam sententiam prorsus falsam esse primus Cauer de font. ad Agesil. histor. pertinent. pag. 43 et nuperrime Christianus Volquardsen *Untersuchungen über die Quellen der griech. und sicil. Geschichten bei Diodor Buch XI—XVI*, c. II recte demonstrarunt. Ceterum haec dissertatio iam scripta erat, cum Volquardsenii librum cognovi, qui multis in rebus mecum consentit.

χόντων δὲ ἐν τῇ ἀκροπόλει ἔτι τότε ἀργυρίου ἐπισήμου ἑξακισχιλίων ταλάντων (τὰ γὰρ πλεῖστα τριακοσίων ἀποδέοντα μύρια ἐγένετο, ἀφ᾽ ὧν ἔς τε τὴν Ποτίδαιαν καὶ τὰ τῆς ἀκροπόλεως προπύλαια ἀπανηλώθη)· χωρὶς δὲ χρυσίου ἀσήμου καὶ ἀργυρίου ἔν τε ἀναθήμασιν ἰδίοις τε καὶ δημοσίοις καὶ ὅσα ἱερὰ σκεύη περί τε τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ σκῦλα μηδικὰ καὶ εἴ τι τοιουτότροπον οὐκ ἐλάσσονος ἢ πεντακοσίων ταλάντων, ἔτι δὲ τὰ ἐκ τῶν ἄλλων ἱερῶν προσετίθει χρήματα οὐκ ὀλίγα, οἷς χρήσεσθαι αὐτούς, καὶ ἢν πάνυ ἐξείργωνται πάντων, καὶ αὐτῆς τῆς θεοῦ τοῖς περικειμένοις χρυσίοις· ἀπέφαινε δ᾽ ἔχον τὸ ἄγαλμα τεσσαράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσίου ἀπέφθου καὶ περιαιρετὸν εἶναι ἅπαν· χρησαμένους δέ, ἔφη, ἐπὶ σωτηρίᾳ, χρῆναι μὴ ἐλάσσω ἀντικαταστῆσαι πάλιν· χρήμασιν μὲν οὖν οὕτως ἐθάρσυνεν αὐτούς. ὁπλίτας δὲ τρισχιλίους εἶναι καὶ μυρίους ἄνευ τῶν ἐν τοῖς φρουρίοις καὶ τῶν παρ᾽ ἔπαλξιν ἑξακισχιλίων καὶ μυρίων· τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον, ὁπότε οἱ πολέμιοι εἰσβάλοιεν, ἀπό τε τῶν πρεσβυτάτων καὶ τῶν νεωτάτων καὶ μετοίκων ὅσοι ὁπλῖται ἦσαν. — — — — — καὶ τριήρεις τὰς πλωίμους τριακοσίας.

νήλωτο· καὶ ἐκ τοῦ φόρου τῶν συμμάχων καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀνεφέρετο ἑξήκοντα καὶ τετρακόσια τάλαντα· χωρὶς δὲ τούτων τά τε πομπεῖα σκεύη καὶ τὰ μηδικὰ σκῦλα πεντακοσίων ἀπεφήνατο ἄξια ταλάντων· ἔν τε τοῖς ἱεροῖς ἀπεδείκνυεν ἀναθημάτων τε πλῆθος καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἔχειν χρυσίου πεντήκοντα τάλαντα ὡς περιαιρετῆς οὔσης τῆς περὶ τὸν κόσμον κατασκευῆς· καὶ ταῦτα, ἀναγκαία εἰ λάβοι χρεία χρησαμένους παρὰ τῶν θεῶν πάλιν ἀποκαταστῆσαι ἐν εἰρήνῃ· χωρὶς δὲ τούτων τῶν χρημάτων στρατιώτας ὑπεδείκνυεν τῇ πόλει ὑπάρχειν χωρὶς συμμάχων καὶ τῶν ἐν τοῖς φρουρίοις ὄντων ὁπλίτας μὲν μυρίους καὶ δισχιλίους· τοὺς δ᾽ ἐν τοῖς φρουρίοις ὄντας καὶ τοὺς μετοίκους ὑπάρχειν πλείους τῶν μυρίων ἑπτακισχιλίων· τριήρεις δὲ τὰς παρούσας τριακοσίας.

Haec autem verba Thucydideis simillima Diodorus unde hauserit, ipse indicat omnia ea, quae de belli Peloponnesiaci causis inde a capite 38 usque ad caput 41 disseruit, hisce verbis concludens: αἰτίαι μὲν οὖν τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τοιαῦταί τινες ὑπῆρξαν ὡς Ἔφορος ἀνέγραψε.

Quodsi Ephorum Thucydidis libros adhibuisse ex illo Diodori loco concludendum videtur esse [2]), ibi Ephoro usum esse Siculum illum scriptorem putabimus, ubicumque ut in universum cum Thucydide congruit, ita in singulis rebus ab eo abhorret. Quorum locorum cum maximus sit numerus, in paucis quoque iis capitibus componendis, in quibus inter Diodorum et Thucydidem nulla prorsus exstat differentia, quia cum reliquis ex Ephoro petitis capitibus arctissime cohaerent atque coniuncta sunt, Ephori verba ante oculos habuisse Diodorum perquam est verisimile, praesertim cum, quanti aestimatus sit Cumaeus ille scriptor a Siculo, satis constet.

Idem Volquardsenius quoque statuit, cuius tamen argumentationem non prorsus comprobo. Paginis enim 41 et 42 eius libri, quem supra nominavimus, Diodorum Thucydidem ante oculos non habuisse inde concludendum esse dicit, quod Siculus ille et prorsus diversa temporum notandorum ratione usus sit et quod haud semel res compluribus annis gestas ita coniunxerit, quasi uno anno confectae sint, ita ut narrationem eius modi videatur excerpsisse, in qua non ut apud Thucydidem singuli anni distincti sed una quaeque res sive uno anno sive pluribus peracta uno velut tenore prolata fuerit. Huc autem potissimum spectare censet vir ille doctissimus ea verba, quae saepius apud Diodorum leguntur: ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις ἀκριβέστερον ἐροῦμεν, ἵνα μὴ παρὰ φύσιν προλαμβάνωμεν τῇ γραφῇ τοὺς καιρούς, quem ad locum ipse haec adnotavit: „So würde er gewiss nicht sprechen, wenn er nicht eine Quelle gehabt hätte, bei der es nöthig war, sich vor dem προλαμβάνειν τοὺς καιροὺς zu hüten“.

Huic autem argumentationi optimo iure id opponere mihi videor, illam temporum notandorum rationem a Thucydidea diversam non ad Diodori auctorem, sed ad ipsum Diodorum esse referendam. Ipse enim Christianus Volquardsen quamquam in appendice II singula rerum a Diodoro commemoratarum tempora olympiadibus definita iuxta ea posuit, quae ex Thucydidis libris evadunt, tamen id non perspexit, quod iampridem Arnoldus Schaefer (de rerum post bella persica usque ad

2) Idem Stedefeldtius ex Plut. Pericl. cap. 16—23 concludendum esse dixit in Sybel. diar. hist. vol. 18. p. 175.

foedus tricennale gestarum p. 8) demonstravit, Diodorum olympiadum annos non inde a media aestate sed a media hieme numerare. Quod qui tenet, minime in ea differentia, quae inter Diodori et Thucydidis tempora exstat, offendet. Quo vero dilucidius appareat, revera illam olympiadum numerandarum rationem ad Diodorum ipsum esse referendam, eo ipso loco utar, quo Volquardsenius contrarium probare studuit. Diodorus enim l. XIII capp. 80 et 81 Carthaginienses anno tertio olympiadis nonagesimae tertiae (Ol. 93, 3) Agrigentinorum urbem et coepisse obsidere et per octo menses obsessam μικρὸν πρὸ τῆς χειμερινῆς τροπῆς expugnasse narrat. Atqui si inde a χειμερινῇ τροπῇ i. e. a mense Decembri octo menses computamus, ad Maium fere mensem pervenimus, quo oppugnatio Agrigenti coepta sit. Itaque Diodorus, si consuetam olympiadum numerandarum rationem secutus esset, dicere debebat, Carthaginienses altero olympiadis 93 anno coepisse Agrigentum obsidere, non tertio.

Illum autem numerum (Ol. 93, 3) Volquardsenius pagg. 77 et 78 ita explicandum esse censet, ut statuamus, Timaeum, ex quo haec Diodorus hauserit, non olympiadibus in computando usum esse, ut vulgo creditur, sed naturalibus, quos vocamus, annis ab altero vere ad alterum pertinentibus, quibus olympiadum annos Diodorus aequaverit. Quam sententiam vir ille doctus non proposuisset, si illud respexisset, quod Arnoldus Schaefer de Diodori temporum notationibus in pentecontaetia, quae nominatur, exstantibus disseruit.

Cum enim Diodorus in altero loco alium fontem adhibuerit atque in altero, in hoc Timaeum in illo Ephorum, in utroque autem loco illam olympiadum numerandarum rationem, ex qua anni initium in mediam hiemem incidit, secutus sit, nonne verisimillimum est, hanc rationem ab ipso Diodoro esse excogitatam?

Ad Timaeum autem pertinere hanc temporum notandorum rationem eo minus putabimus, quia ex Polybii l. XII cap. 11 non sine causa Timaeum primum olympiadibus in computando usum esse concluditur.

Accedit quod, qui naturales annos adhibet, utique debet alia etiam annorum significandorum ratione uti, cum quoddam tempus statuendum sit, ex quo naturales anni numerentur.

Neque vero Volquardsenius hac in re debebat provocare ad Thucydidis et Polybii exempla. Nam Thucydidem naturalibus annis in narrando bello Peloponnesiaco certo cum consilio usum esse quis est, qui dicat? Immo singulos belli annos diligentissime distinxit, mero autem casu id factum esse videtur, ut belli anni congruerent cum naturalibus; nam etiamsi belli initium media aestate fuisset, tamen inde ab hoc temporis momento Thucydides annos computasset.

Polybius autem singulos olympiadum annos semper respexit et adnotavit.

Ceterum ipse Diodorus, ut illam olympiadum numerandarum rationem adhiberet, mihi quidem videtur commotus esse Romanorum exemplo, quos inde a Cai Iuli Caesaris aetate publice Ianuarium mensem pro primo anni mense habuisse constat. Itaque inde, quod Diodorus aliter atque Thucydides tempora notavit, minime concludi potest, Diodorum Thucydidis libros non respexisse.

Maiore quidem cum probabilitate Volquardsenius inde, quod Diodorus diversa rerum disponendarum ratione saepe usus est, eum Thucydidis libros neglexisse videtur concludere. Verum tamen solo hoc argumento si quis nititur, non satis caute atque diligenter iudicat. Nam hac quoque in re facile quispiam dubitaverit, utrum haec narrandi consuetudo ad fontem Diodori, an ad ipsum Diodorum pertineat atque referenda sit. Hunc enim non tam temere tamque imparatum ad scribendum accessisse, ut putat vir ille doctissimus, ex eo apparere mihi videtur, quod in prioribus libris non uno loco (cf. l. l. VI et VII reliquias a Muellero congestas) se diligentius atque accuratius postea expositurum esse ea dicit, quae ibi leviter perstringit. Quibus e locis id quidem elucet, Diodorum, antequam ad scribendum accederet, eas res cognovisse et mente quidem disposuisse, quas ipse postea narraturus erat; id quod eo quoque ipso loco, quem Christianus Volquardsen ad probandam suam sententiam attulit, confirmatur.

Caput enim 37 l. XIII, quo, qua ratione Alcibiades Pharnabazum (sic!), ne Lacedaemoniis naves auxilio mitteret, commoverit, exponitur, his verbis concluditur: Τότε μὲν οὖν τηλικαύτην τῶν Λακεδαιμονίων cυμμαχίαν παρείλετο· μετὰ δέ τινα χρόνον τυχὼν τῆc καθόδου καὶ δυνάμεωc ἡγηcάμενοc, πολλαῖc μὲν μάχαιc ἐνίκηcε Λακεδαιμονίουc καὶ τελέωc τὰ τῶν Ἀθηναίων

πράγματα πεσόντα πάλιν ἤγειρεν, ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις ἀκριβέστερον ἐροῦμεν, ἵνα μὴ παρὰ φύσιν προλαμβάνωμεν τῇ γραφῇ τοὺς καιρούς.

Ex ultimis autem his verbis Volquardsenius Diodorum eiusmodi narrationem ante oculos habuisse, in qua temporum ordinis nulla habita esset ratio, non conclusisset, nisi falso de toto illius capitis fine iudicasset. Videtur enim verba τότε — ἤγειρεν ad Ephorum referre, ex quo reliqua, quae illo capite continentur, desumta sunt.

At vero iniuria. Nam haec verba in fonte Diodori minime hic locum haberent, si uno quasi tenore res Alcibiadis narratae essent, immo adiecta sunt, quia inde ab insequenti capite nova narrationis pars i. e. novus annus incipit. Itaque ad Diodorum ipsum totus ille locus pertinet, qui proximis capitibus perlectis, quid praestitisset Alcibiades Atheniensium civitati, cognoverat. Ephorum autem eo loco, unde caput 37 desumtum est, res ab Alcibiade gestas continuo narrasse eo minus verisimile est, quia nisi, qui res capitibus proximis descriptas novit, illas nemo intēllegit. Apparet igitur ex hoc loco, Diodorum non, ut putat Volquardsenius, singula capita descripsisse nihil sequentia curantem, sed optime, quid ipse postea narraturus esset, nosse.

Quae cum ita sint, optimum videtur esse, singula Diodori capita cum Thucydideis comparare et, quid iis commune, quid utrique proprium sit, notare. Atque cum Diodoreorum capitum, quae ad bellum Peloponnesiacum pertinent, plurima ita sint comparata, ut in universum cum Thucydideis congruant, in parvis rebus ab iis abhorreant, ea non e Thucydide sed ex eo scriptore, qui ipse Thucydidis libros adhibuerit, Ephoro, desumta esse apparet. Nam Diodorum ita Ephori libris usum esse, ut ea, quae a Thucydide praetermissa invenisset, ex illis depromeret, minime statui potest, quia haec scribendi ratio cum ab omnium antiquorum rerum scriptorum tum a Diodori consuetudine summopere abhorret, qui, quantum fieri posset, unum sequebatur ducem.

Iam vero ad singula capita tractanda transeamus.

Atque primum quidem ea, quae capite 41 et prioribus insequentis capitis paragraphis de incursione a Thebanis in Plataeensium urbem facta narrantur, ad Thucydidem ideo referri

nequeunt, quod, cum is Plataeenses neglecto pacto Thebanis illis, qui capti erant, manus intulisse libri II capite 6 narret, Thebas eos remissos esse Diodorus tradit. Quod quamquam per se quidem parum verisimile est, ita ut ipsum Diodorum hac in re errasse facile quispiam putet, tamen ex iis quoque, quae proxime sequuntur, Ephorum hoc loco adhibitum esse apparet. Enumerans enim Lacedaemoniorum et Atheniensium socios Diodorus quamquam similibus verbis utitur atque Thucydides in libri II capite 9, tamen in eo abhorret, quod solus Amphissaeorum et Potidaeatarum atque Chalcidensium mentionem facit. Ea deinde, quae in eodem capite de primo belli Peloponnesiaci anno narrantur, cum Thucydide prorsus congruunt.

Iam vero capite 43, quibus locis Athenienses Peloponnesum vexarint, describens Siculus in reliquis quidem rebus cum Thucydide conspirat, in eo autem differt, quod haec verba exhibet: καὶ μάλιστα τῆς παραθαλαττίου τὴν καλουμένην Ἀκτὴν ἐδῄου καὶ τὰς ἐπαύλεις ἐνεπύριζε, quae in Thucydidis l. II c. 25 non extant.

Atque hoc cum capite arctissime insequens cohaeret, quo quae de Atheniensium in Locrorum, Aeginetarum, Megarensium agros incursionibus narrantur etiamsi prorsus congruunt cum iis, quae Thuc. l. II capitibus 26, 27, 32 commemorantur, tamen eo minus ad ipsum Thucydidem referri possunt, quia, quid altero belli anno factum sit, capitibus 45 et 46 ita exponit Diodorus, ut summopere a Thucydide recedat. Nam primum Lacedaemonios Atticam iterum vastantes sola Tetrapoli, quae vocatur, abstinuisse, deinde Pericli magistratum abrogatum ipsumque octoginta talentis punitum esse, denique in Potidaeatarum urbem mille colonos esse deductos, solus Diodorus narrat.

Capite deinde 47 Siculus Xenophontem et Phanomachum ab Atheniensibus in Thraciam missos esse dicit, quorum alter, Phanomachus, l. II c. 79 Thuc. non nominatur.

Iam vero capita 48 et 49 sola si quis respexerit, utique Diodorum Thucydidis vestigia pressisse putabit. Res enim a Phormione circa Rhium promuntorium gestae et Lacedaemoniorum in Salamina insulam incursio hoc loco ita describuntur, ut Dio dorus nullum exhibeat verbum, quod non cum iis congruat, quae in l. II capp. 83, 84, 85, 91, 92 Thuc. extant. Alia ratio est capitum 50 et 51, quibus de Sitalce Odrysorum rege agitur; ut

enim plurima eorum, quae hic afferuntur, prorsus respondent iis, quae a Thucydide inde a cap. 95 usque ad cap. 101 l. II exponuntur, ita id Diodoreae narrationis proprium est, quod accuratius Sitalcis regis indoles et mores describuntur et inter eas gentes, quae in Sitalcem tunc societatem inierunt, Achaei quoque nominantur.

Capita quoque 53 et 54 quonam referenda sint, satis erit clarum, si ea cum Thucyd. l. III capp. 86, 88, 90 comparaverimus.

Inter Leontinorum enim legatos Gorgiam rhetorem fuisse, a solo Diodoro traditur, qui illo ipso loco in dicendo artificia eius summis laudibus effert atque accuratius describit. Id autem quonam magis pertinet quam ad Ephorum disertissimum Isocratis discipulum?

Deinde in narrandis rebus ab Atheniensibus tunc in Sicilia gestis Diodorus centum Rheginorum naves ad Lachetis classem centum navibus constantem accessisse dicit, cum Thucydides Atheniensium fuisse viginti naves commemoret neque, quot fuerint sociorum naves, indicet.

Denique quinque Locrensium naves comprehensas et in pugna ad Mylas facta plus quam mille Siculos ab Atheniensibus interfectos et sexcentos esse captos nisi in bibliotheca historica nusquam legitur.

Hoc autem loco Ephorum a Diodoro excerptum esse eo verisimilius est, quia in altera quoque Atheniensium in Siciliam expeditione describenda Ephorum adhibitum esse postea demonstrabimus.

De capite 55 Guilielmus Herbst in programmate Coloniae anno h. s. 61 edito, quod inscribitur: *der Abfall Mitylenes von Athen*, p. 10 ita egit, ut e Thucydide ipso Diodorum haec desumsisse demonstraret. Neque enim hoc loco inter illos scriptores ulla extat differentia nisi ea, quod Diodorus solus in concione populi (ἐν ἐκκλησίᾳ) Pachetem alterum illud Atheniensium decretum recitasse narrat, quod sua sponte adiecisse eum facile Herbstio concedemus. Similitudines autem, quae hoc loco inter Diodorum et Thucydidem exstant, facillime explicantur, si id tenemus, Ephorum Thucydidis libris tamquam fundamento usum esse.

Ea quoque, quae capite 56 de Plataeensium exitu narrantur prorsus fere cum iis congruunt, quae Thucydides eadem de re l. III capp. vigesimo et sequentibus dixit.

Unam autem differentiam, quae hoc loco inter Diodorum et Thucydidem extat, ad Diodorum ipsum, non ad eius auctorem referendam esse satis verisimile est. Narrat enim Plataeenses postquam negaverint se ullo beneficio affecisse Lacedaemonios, ab iis etiam ecquid mali sibi fecissent interrogatos esse.

Dilucidius quam ex hoc capite ex 58 Diodorum Thucydidem non respexisse apparet. Ibi enim, quibus causis factum sit, ut iterum Athenis pestilentia exoreretur, copiosissime exponitur, cum Thucydides l. III cap. 87, ubi haec res commemoratur, causas non afferat.

In insequenti deinde capite Heracleam a Spartanis coloniam ideo deductam esse narratur, quia antea Hercules ibi habitaverit, quam causam Thucydides in l. III cap. 92 non commemorat; neque quot fuerint coloni indicat, cum Diodorus mille fuisse tradat.

Nunc accedemus ad capita 60, 61, 62, 63 tractanda, quibus quanta cum Thucydide sit necessitudo, ut appareat, singulos locos apponam.

Thucyd. III, 113.	Diodor. 60.
νῦν δ' ἔδειcαν μὴ οἱ Ἀθηναῖοι ἔχοντες αὐτὴν χαλεπώτεροί cφιcι πάροικοι ὦcι.	οἱ Ἀκαρνᾶνεc φοβούμενοι μὴ τῆc πόλεωc κυριεύcαντεc Ἀθηναῖοι χαλεπώτεροι πάροικοι ὦcιν. κ. τ. λ.
Thucyd. IV, 3.	**Diodor. 61.**
ὁ Δημοcθένηc ἠξίου τειχίζεcθαι τὸ χωρίον — ἀπέφαινε δὲ φύcει καρτερὸν ὂν — ἀπέχει γὰρ cταδίουc μάλιcτα ἡ Πύλοc τῆc Cπάρτηc τετρακοcίουc καὶ ἔcτιν ἐν τῇ ποτε Μεccηνίᾳ οὔcᾳ γῇ.	ὁ Δημοcθένηc ἐπεβάλετο τὸ χωρίον τειχίcαι. ἔcτι γὰρ ὀχυρὸν διαφερόντωc καὶ κείμενον ἐν τῇ Μεccηνίᾳ, ἀπέχον δὲ τῆc Cπάρτηc cταδίουc τετρακοcίουc.
ἐν νῷ εἶχον — τοὺc εἴcπλουc τοῦ λιμένοc ἐμφράξαι — τοὺc μὲν οὖν εἴcπλουc ταῖc ναυcὶν ἀντιπρῴροιc κλῄcειν ἔμελλον.	ναῦc ἀντιπρῴρουc ἔcτηcαν τῷ cτόματι τοῦ λιμένοc, ὅπωc διὰ τούτων ἐμφράξωcι τὸν εἴcπλουν τῶν πολεμίων.
ἡ γὰρ νῆcοc ἡ Cφακτηρία καλουμένη — τόν τε λιμένα παρατείνουcα καὶ ἐγγὺc ἐπικειμένη ἐχυρὸν ποιεῖ. κ. τ. λ.	εἰc δὲ τὴν νῆcον τὴν Cφακτηρίαν καλουμένην, παρατεταμένην δ' ἐπὶ μῆκοc καὶ ποιοῦcαν εὔδιον τὸν λιμένα διεβίβαcαν κ. τ. λ.

Thucydides (IV, 11).	Diodorus (cap. 62).
πάντων δὲ φανερώτατος ἐγένετο ὁ Βραςίδας· τριηραρχῶν γὰρ — ἐβόα λέγων ὡς οὐκ εἰκὸς εἴη ξύλων φειδομένους τοὺς πολεμίους ἐν τῇ γῇ περιιδεῖν τεῖχος πεποιημένους.	μεγίςτης δ' ἀποδοχῆς ἔτυχε Βραςίδας. — τριήραρχος γὰρ ὢν ἐβόα καὶ παρεκελεύετο τῷ κυβερνήτῃ μὴ φείδεςθαι τοῦ ςκάφους — αἰςχρὸν γὰρ εἶναι — τῶν ςκαφῶν φείδεςθαι καὶ Ἀθηναίους περιορᾶν κρατοῦντας Λακωνικῆς. —
καὶ τὸν ἑαυτοῦ κυβερνήτην ἀναγκάςας ὀκεῖλαι τὴν ναῦν ἐχώρει ἐπὶ τὴν ἐπιβάθραν.	τέλος δὲ ςυναναγκάςαντος τὸν κυβερνήτην προςαγαγεῖν τὴν ναῦν ἡ μὲν τριήρης ἐπώκειλεν, ὁ δὲ Βραςίδας ἐπιβὰς ἐπὶ τὴν τῆς νεὼς ἀποβάθραν — ἠμύνατο — κ. τ. λ.
τραυματιςθεὶς πολλὰ ἐλειποψύχηςέ τι καὶ — ἡ ἀςπὶς περιερρύη.	τέλος δὲ διὰ τῶν τραυμάτων αἵματος ἐκχυθέντος πολλοῦ καὶ αὐτοῦ λειποψυχήςαντος — ἡ ἀςπὶς περιρρυεῖςα κ. τ. λ.
εἰς τοῦτο δὲ περιέςτη ἡ τύχη ὥςτε Ἀθηναίους μὲν ἐκ γῆς τε καὶ ταύτης Λακωνικῆς ἀμύνεςθαι ἐκείνους ἐπιπλέοντας, Λακεδαιμονίους δὲ ἐκ νεῶν καὶ ἐς τὴν αὑτῶν πολεμίαν οὖςαν ἐπ' Ἀθηναίους ἀποβαίνειν.	θαυμάςαι δ' ἄν τις τῆς τύχης τὸ παράδοξον καὶ τὴν ἰδιότητα τῆς περὶ τὴν Πύλον διαθέςεως. Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ ἐκ τῆς Λακωνικῆς ἀμυνάμενοι τοὺς Cπαρτιάτας ἐκράτουν, Λακεδαιμόνιοι δὲ τὴν ἰδίαν χώραν ἔχοντες ἐκ τῆς θαλάςςης προςέβαλλον τοῖς πολεμίοις.

Haec, quamquam summam esse inter Diodori et Thucydidis verba similitudinem neminem fallet, ex ipso Thucydide desumta esse ne quis putet, respiciendum est, complures res illo loco prorsus aliter narrari a Diodoro atque a Thucydide.

Atque primum quidem in capite sexagesimo Aetolos cum Naupactum invaderent, repulsos esse refertur, quod tantum abest ut ad Thucydidem pertineat, ut is in capite 102 libri tertii τὸ προάςτειον Aetolos occupasse narret.

In fine deinde eiusdem capitis Ambraciotas a Lacedaemoniis praesidia arcessivisse commemoratur, cum Corinthum misisse, qui praesidium peterent, Ambraciotas Thucydides in libri III capite 114 dicat.

Praeterea apud Diodorum Pylos muris cingitur viginti diebus, apud Thucydidem (l. IV cap. 5) sex. Neque vero Thucydides, quanto exercitu Lacedaemonii terra oppugnaverint Pylum, indicat, Diodorus contra duodecim millia fuisse Spartanorum refert. Denique is in capite sexagesimo tertio historiunculam affert, quam apud Thucydidem frustra quaeras. Narrat enim, cum Athenienses captivorum permutationem admissuros se esse negassent, Lacedaemonios dixisse, confiteri ergo Athenienses, Lacedaemonios se esse meliores, quippe quorum permutationem admittere nollent.

Quis autem has historiunculas magis amabat quam Ephorus, quem multis locis eas in libros suos inseruisse ex Plutarcho potissimum cognoscitur?

Similis est ratio insequentis capitis, quod et ipsum ita est compositum, ut, quamquam et in verbis et in rebus magna exstat inter Diodorum et Thucydidem similitudo, tamen nonnulla certe sit differentia.

Atque similitudines quidem, quaenam inter Diodori et Thucydidis (IV, 45) narrationem sint, legentibus ipsis relinquo investigandum, nunc quaenam inter illos scriptores differentia sit videamus. Atque primum quidem Diodorus Niciam a sociis quadraginta triremes accepisse dicit, quod Thucydides l. IV cap. 42, ubi debebat, non commemoravit. Deinde duas pugnas cum Corinthiis Athenienses commisisse apud Diodorum legens quis facile in eam sententiam inclinet, uti putet Diodorum, cum haec narraret, de duobus exercituum cornibus cogitasse.

Denique Diodoro Tantalum et Aeginetas Athenis in custodia retentos esse narranti adversatur Thucydides, qui l. IV cap 57 Athenienses decrevisse dicit, ut Tantalus in custodia detineretur, Aeginetae necarentur.

In capite deinde 67 ut in reliquis rebus Siculus conspirat cum Thucydide, ita in narrando Helotum, qui vocantur, exitu ab eo recedit.

Alter enim, quo modo Helotes illi, qui libertatem petiverint, sint interfecti, scire quemquam l. IV cap. 80 negat, alter vero, Diodorus, singulos Helotes validissimis Lacedaemoniis obtruncandos traditos esse dicit.

Haec autem postquam exposuit, sic pergit: διὸ καὶ θαρρήσας, τῷ πλήθει τῶν στρατιωτῶν ἐστράτευσεν ἐπὶ τὴν καλουμένην Ἀμφίπολιν, quibus e verbis cum appareat caput 68, quo res

a Brasida in Thracia gestae describuntur, arctissime cum iis, quae antecedunt, cohaerere, verba Diodori, quae iam sequuntur, Thucydideis simillima non ad Thucydidem sed ad eum scriptorem, ex quo superiora capita desumta sunt, Ephorum dico, referre nemo dubitabit.

Thuc. (IV, 102).	Diodor.c. 68.
Βραςίδας ἐςτράτευςεν ἐπ' Ἀμφίπολιν. τὸ δὲ χωρίον τοῦτο ἐφ' οὗ νῦν ἡ πόλις ἐςτὶν, ἐπείραςε μὲν καὶ πρότερον Ἀριςταγόρας ὁ Μιλήςιος φεύγων Δαρεῖον τὸν βαςιλέα κατοικίςαι, ἀλλ' ὑπὸ τῶν Ἠδωνῶν ἐξεκρούςθη· ἔπειτα δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔτεςι δυςὶ καὶ τριάκοντα ὕςτερον ἐποίκους μυρίους ςφῶν τε αὐτῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν βουλομένων πέμψαντες, οἳ διεφθάρηςαν ἐν Θραβήςκῳ ὑπὸ Θρᾳκῶν καὶ αὖθις ἑνὸς δέοντος τριακοςτῷ ἔτει ἐλθόντες οἱ Ἀθηναῖοι Ἅγνωνος τοῦ Νικίου πεμφθέντος οἰκιςτοῦ Ἤδωνας ἐξελάςαντες ἔκτιςαν τὸ χωρίον τοῦτο.	ἐςτράτευςεν ἐπὶ τὴν καλουμένην Ἀμφίπολιν. ταύτην δὲ τὴν πόλιν πρότερον ἐπεχείριςεν οἰκίζειν Ἀριςταγόρας ὁ Μιλήςιος φεύγων Δαρεῖον τὸν βαςιλέα τῶν Περςῶν. ἐκείνου δὲ τελευτήςαντος καὶ τῶν οἰκητόρων ἐκπεςόντων ὑπὸ τῶν Θρᾳκῶν τῶν ὀνομαζομένων Ἠδωνῶν μετὰ ταῦτα ἔτεςι δυςὶ πρὸς τοῖς τριάκοντα Ἀθηναῖοι μυρίους οἰκήτορας εἰς αὐτὴν ἐξέπεμψαν· ὁμοίως δὲ καὶ τούτων ὑπὸ τῶν Θρᾳκῶν διαφθαρέντων περὶ Θράβηςκον διαλιπόντες ἔτη δύο πάλιν ἐκτήςαντο τὴν πόλιν Ἀπίωνος (certe: Ἅγνωνος) ἡγουμένου.

Praeterea Thucydides (IV, 109) de urbibus Actae peninsulae agens haec verba exhibet: αἳ οἰκοῦνται ςυμμίκτοις ἔθνεςι βαρβάρων διγλώττων, quae in bibliotheca prorsus fere eadem forma conservata sunt, ubi haec leguntur: αἳ δ' εἶχον ὄχλον βαρβάρων διγλώττων.

In fine denique illius capitis apud Diodorum haec sunt: ἐςτράτευςεν ἐπὶ πόλιν Τορώνην ἄποικον μὲν Χαλκιδέων, κατεχομένην δὲ ὑπὸ Ἀθηναίων, quae optime respondent his Thucydideis (IV, 110) verbis: ςτρατεύει ἐπὶ Τορώνην τὴν Χαλκιδικὴν, κατεχομένην δὲ ὑπὸ Ἀθηναίων.

Capitibus deinde 69 et 70 pugnam ad Delium factam describens solus Diodorus trecentos παραβάτας vel ἡνιόχους Boeotorum exercitum praegressos esse et, quanta tunc fuerit Boetorum praeda, denique, qua ratione usi sint ista praeda, dicit.

Permulta ea, quae de ultimis belli Archidamici temporibus cap. 72 narrantur, prorsus fere respondent iis, quae apud Thucydidem extant. Accuratius autem comparantes Diodori narrationem cum Thucydidea, aliquam certe differentiam inter illos scriptores intercedere videbimus. Cum enim, ait Siculus, Lesbii Antandro urbe occupata Atheniensibus Mitylenam tenentibus bellum inferrent, ira commoti Athenienses Aristidem et Symmachum in Lesbum insulam miserunt, qui illo oppido capto Lesbiorum alios interfecerunt, alios ex urbe eiecerunt. Quo facto ipsi, cum praesidium ibi reliquissent, ex Lesbo profecti sunt.

Thucydides vero primum quidem nusquam neque l. IV c. 52 neque c. 75 Lesbios illos Antandro occupata Atheniensibus Mitylenam tunc tenentibus bellum intulisse commemorat, deinde duces illos, quorum alterum ipse nominat Demodocum, alterum Aristidem, in Lesbum insulam non a populo missos esse sed sua sponte, cum illo ipso tempore in Ponto versarentur, venisse narrat; denique nec, quo supplicio illi duces Lesbios affecerint, nec praesidium ab iis in Antandro urbe relictum esse refert.

Non minus clarum est in iis, quae proxime sequuntur, narrandis Thucydidem a Diodoro non esse adhibitum. Nam cum Thucydides l. V c. 1 ideo Delios expulsos esse narret, quod Athenienses, paucis annis ante cum purgarent insulam, se non satis fecisse putaverint, Siculus eam fuisse causam dicit, quod Delii Atheniensibus cum Lacedaemoniis conspirare visi sint. Deinde autem ea quoque, quae de pugna ad Amphipolin facta afferuntur, satis differunt ab iis, quae Thucydides l. V c. 10 tradidit. Is enim, quo erat in Cleonem odio, fugientem eum a Myrcino quodam necatum esse narrat. At vero Siculus demagogum illum militibus suis exemplo fuisse et fortiter pugnantem in ipsa acie cecidisse refert. Praeterea Brasidae matrem, cum ei filium omnium Lacedaemoniorum fuisse fortissimum nuntiatum esset bonum certe eum fuisse virum, sed multis aliis inferiorem respondisse ideoque ab ephoris summis honoribus affectam esse, apud unum Diodorum legitur. Atque ut haec narratiuncula optime in Ephori scribendi rationem quadrat ita singulorum Diodori et Thucydidis (V, 2) verborum similitudine quoque, ut hoc loco Cumaeum illum scriptorem a Diodoro excerptum esse putemus, commovemur. Iam vero inde a capite 75 Diodorus, quidnam per tempus illud, quo neque pax neque bellum

inter Lacedaemonios et Athenienses erat, in Peloponneso potissimum gestum sit, exponens summopere a Thucydide recedit. In cap. 75 enim Peloponnesios, ne Athenienses et Spartani mali quid in se molirentur, ideo timuisse narratur, quod et Athenis et Spartae decemviri electi essent, qui reipublicae saluti consulerent, quae res a Thucydide non commemoratur. Haec quoque inter illos scriptores est differentia, quod cum Thucydides l. V cap. 67 mille Argis selectos esse viros tradat, qui nonnisi corporibus colendis et exercendis operam darent, Diodorus illos omnibus muneribus vacasse publiceque alitos esse addidit. Haec vero ex Ephoro desumta esse ut appareat, satis erit verborum similitudinem, quae hoc loco inter Siculum et Atheniensem scriptorem extat, commemorare. Uterque enim dicit Athenienses et Lacedaemonios suspicionem movisse, quasi ἐπὶ καταδουλώσει τῶν ἄλλων foedus illud fecissent. Deinde foederis ipsius forma fere eadem est apud utrumque.

Thuc. V, 29.	Diod. c. 75.
ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐνεγέγραπτο, εὔορκον εἶναι, προσθεῖναι καὶ ἀφελεῖν ὅτι ἂν ἀμφοῖν τοῖν πολέοιν δοκοίη, Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις.	προσγεγράφθαι ταῖς συνθήκαις, ἐξεῖναι Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις ὅπερ ἂν δοκῇ ταύταις ταῖς πόλεσιν προσγράφειν ταῖς συνθήκαις καὶ ἀφαιρεῖν ἀπὸ τῶν συνθηκῶν.

In insequenti quoque capite ut magna verborum similitudo, ita gravis rerum differentia inter illos scriptores extat. Alter enim, Siculus, Spartanos eos, qui in Sphacteria capti tunc ἄτιμοι facti sint, illo ipso tempore in pristinam dignitatem restitutos esse narrat, alter, Thucydides (V, 32), illo demum tempore ἀτιμίᾳ eos affectos esse dicit.

In capite 77 Diodorus Heracleenses adversa in Aeneanes facta pugna Boeotorum auxilium implorasse et ab his mille milites accepisse narrans a Thucydide abhorret, qui l. V cap. 52 neque Heracleenses auxilium a Boeotis petiisse commemorat neque, quot milites miserint Boeoti, indicat.

Neque minus Siculus scriptor in cap. 78 a Thucydide recedit. Is enim (V, 63) Spartanos Agidis domum destruere voluisse narrat, Diodorus vero Argivorum ducum aedes dirutas esse commemorat. Singulorum autem verborum inter Diodorum et Thucydidem hoc loco similitudine, ut Ephorum hoc quoque

in capite componendo adhibitum esse putemus, inducimur, quam quidem similitudinem, quicunque Diodori verba cum Thucydideis comparaverit, videbit.

Eadem ratio capitis 79 est, quo quae de pugna ad Tegeam facta narrantur etsi in universum cum iis congruunt, quae inde a l. V cap. 67 usque ad cap. 73 a Thucydide referuntur, tamen ex eo ipso desumta non esse ea inde apparet, quod solus Diodorus Agidem a Pharace uno ex decemviris illis Spartanis, quominus mille eos Argivos, quos iam supra nominavimus, ad unum omnes caederet, prohibitum esse commemorat. De seditionibus quoque Argivis Thucydide copiosius egit Siculus, quippe qui solus optimates de medio sustulisse homines populares perque octo menses rempublicam administrasse dicat. Praeterea Phocensium et Locrensium contentiones cap. 80 exponens plus quam mille Locrenses cecidisse narrat, Thucydides autem l. V cap. 32 certum interfectorum numerum non exhibet. Denique ea quoque differentia minime silentio praetermittenda est, quod, cum Thucydides l. VI cap. 7 Oeniadas noctu ex urbe effugisse narret, Siculus alios Oeniadarum interfectos alios ex urbe expulsos esse tradidit.

Iam vero in iis, quae inde a capite octogesimo altero de Atheniensium in Siciliam expeditione dicuntur, prorsus alia inter Diodorum atque Thucydidem intercedit necessitudo atque in iis, de quibus hucusque egimus. Ibi enim Thucydidis libros quasi fundamentum esse intelleximus, in quo Ephorus tamquam aedes suas exstruxerit, nunc vero et rarius similitudinem et saepius differentiam inter Diodorum et Thucydidem extare inveniemus, ita ut eum scriptorem, ex quo haec Siculus desumsit, non tam diligenter Thucydidis vestigia pressisse, sed suis potius pedibus incessisse appareat. Atque primum quidem cap. 82 Egestanos, antequam Athenas venissent, Agragantinorum et Syracusanorum, deinde, cum hi societatem detrectassent, Carthaginiensium auxilium implorasse, quod sane non impetraverint, Diodorus refert, Thucydides autem silentio praetermisit. Deinde nonnisi in bibliotheca historica legitur, et plures Siciliae urbes legatos Athenas misisse de foedere acturos et Leontinos praesertim praeter Egestanos Athenienses, ut in Siciliam exercitum mitterent, commovisse. In altero quoque l. XIII capite complura aliter narrantur atque apud Thucydidem. Athenis enim divites ipsos triremes exornasse, alios pecuniam se daturos esse dixisse, alios denique

inter milites conscriptos nomina sua referri iussisse a Thucydide non commemoratur. Praeterea Diodorus exstitisse quendam, qui et alios et Alcibiadem in inquilini cuiusdam domum ingredientes vidisse se cum indicasset, quomodo facies dignoscere noctu potuisset, interrogatus ad lunae radios se id cognovisse responderit, narrat, quam historiunculam apud Thucydidem frustra quaesiveris. Denique cum is in capite 26 Atheniensium duces αὐτοκράτορας esse in Siciliam missos dicat, Diodorus ducibus a populo id mandatum esse narrat, ut Selinuntios et Syracusanos sub corona venderent, reliquis Siciliae urbibus stipendium imponerent.

Tertii autem capitis initium cum ultima paragrapho libri sexti capitis trigesimi Thucydidis comparandum videtur esse. Et verba quidem haec sunt:

Thucydides.	Diodorus.
συγκατέβη δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος ἅπας, ὡς εἰπεῖν ὁ ἐν τῇ πόλει καὶ ἀστῶν καὶ ξένων, οἱ μὲν ἐπιχώριοι τοὺς σφετέρους αὐτῶν ἕκαστοι προπέμποντες οἱ μὲν ἑταίρους, οἱ δὲ υἱεῖς, οἱ δὲ συγγενεῖς.	καὶ συνηκολούθει πᾶς ὁ κατὰ τὴν πόλιν ὄχλος ἀναμὶξ ἀστῶν τε καὶ ξένων ἑκάστου τοὺς ἰδίους συγγενεῖς τε καὶ φίλους προπέμποντος.

Haec vero ex ipso Thucydide depromta esse ne censeamus, eo vetamur, quod in eodem capite singulae urbes, quas Athenienses classi sint praetervecti, diligentissime enumerantur, Thucydides autem l. VI cap. 44 praeter Tarentinorum et Locrorum urbes nullam nominatim affert.

Deinde ne ea quidem, quae a Diodoro cap. 4 exponuntur, apud Thucydidem reperiuntur. Ibi enim singulae Siciliae urbes quibusnam a partibus steterint, narratur. Quae quonam ex fonte petita sint, quaerentibus nobis respiciendum id est, in eodem capite magnam quoque inter Thucydidem et Diodorum verborum extare similitudinem.

Thucydides.	Diodorus.
καὶ ἐκκλησίας γενομένης τὴν μὲν στρατιὰν οὐκ ἐδέχοντο οἱ Καταναῖοι τοὺς δὲ στρατηγοὺς εἰσελθόντας ἐκέλευον ὅτι βούλονται εἰπεῖν. καὶ λέγοντος Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει	τῶν δὲ Καταναίων εἰς μὲν τὴν πόλιν οὐ δεχομένων τοὺς στρατιώτας, τοὺς δὲ στρατηγοὺς ἐασάντων εἰσελθεῖν καὶ παρασχομένων ἐκκλησίαν, οἱ στρατηγοὶ τῶν Ἀθηναίων περὶ συμμαχίας

πρὸϲ τὴν ἐκκληϲίαν τετραμμένων — οἱ ϲτρατιῶται πυλίδα τινὰ κακῶϲ ἔλαθον διελόντεϲ καὶ εἰϲελθόντεϲ ἠγόραζον ἐϲ τὴν πόλιν.	διελέγοντο. δημηγοροῦντοϲ δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου τῶν ϲτρατιωτῶν τινεϲ διελόντεϲ πυλίδα παρειϲέπεϲον εἰϲ τὴν πόλιν.

Deinde Alcibiadis fugam ita capite quinto describit Diodorus, ut eius verba simillima esse iis, quibus Thucydides l. VI c. 61 utitur, unusquisque videat.

Thucydides.	Diodorus.
καὶ ὁ μὲν ἔχων τὴν ἑαυτοῦ ναῦν καὶ οἱ ϲυνδιαβεβλημένοι ἀπέπλεον μετὰ τῆϲ Cαλαμινίαϲ ἐκ τῆϲ Cικελίαϲ εἰϲ τὰϲ Ἀθήναϲ· καὶ ἐπειδὴ ἐγένοντο ἐν Θουρίοιϲ, οὐκέτι ϲυνείποντο, ἀλλ' ἀπελθόντεϲ ἀπὸ τῆϲ νεὼϲ οὐ φανεροὶ ἦϲαν. οἱ δ' ἐκ τῆϲ Cαλαμινίαϲ τέωϲ μὲν ἐζήτουν τὸν Ἀλκιβιάδην καὶ τοὺϲ μετ' αὐτοῦ· ὡϲ δ' οὐδαμοῦ φανεροὶ ἦϲαν ᾤχοντο ἀποπλέοντεϲ.	Ἀλκιβιάδηϲ τοὺϲ ϲυνδιαβεβλημένουϲ ἀναλαβὼν εἰϲ τὴν ἰδίαν τρίηρη μετὰ τῆϲ Cαλαμινίαϲ ἐξέπλευϲεν· ἐπεὶ δὲ εἰϲ Θουρίουϲ κατέπλευϲεν Ἀλκιβιάδηϲ μετὰ τῶν ϲυνδιαβεβλημένων διαδρὰϲ ἐκποδὼν ἐχωρίϲθη· οἱ δ' ἐν τῇ Cαλαμινίᾳ νηὶ παραγενόμενοι τὸ μὲν πρῶτον ἐζήτουν τοὺϲ περὶ τὸν Ἀλκιβιάδην. ὡϲ δ' οὐχ εὕριϲκον ἀποπλεύϲαντεϲ εἰϲ Ἀθήναϲ τῷ δήμῳ ἀπήγγειλαν τὰ πεπραγμένα.

Haec quoque inter se sunt comparanda:

Thucyd. l. VI c. 64.	Diodor c. 6.
πέμπουϲιν ἄνδρα ϲφίϲι μὲν πιϲτόν, τοῖϲ δὲ Cυρακοϲίων ϲτρατηγοῖϲ οὐχ ἧττον ἐπιτήδειον.	πέμπουϲιν ἄνδρα Καταναῖον ἑαυτοῖϲ μὲν πιϲτὸν, τοῖϲ δὲ τῶν Cυρακοϲίων ϲτρατηγοῖϲ πιθανόν.

At vero cum his Diodori verbis arctissime ea cohaerent, quae apud Thucydidem nusquam inveniuntur. In fine enim capitis septimi Athenienses Polychnam occupasse et Iovis templum muro cinxisse narratur.

Iam inde a capite octavo similitudines inter Diodorum et Thucydidem nullae reperiuntur, immo vero plurimae differentiae.

Nam primum quidem in capite 8 Lamachum eruptione a Gylippo Lacedaemonio facta interfectum esse narratur, cum

Thucydides l. VI c. 102 eum prius cecidisse, quam Gylippus advenerit tradat.

Deinde in eodem capite Gylippum navali pugna cum Atheniensibus commissa primum quidem victum esse, postea autem adscitis duodecim Corinthiorum navibus superiorem ex proelio excessisse refertur; Thucydides vero lib. VII cap. 6 post Gylippi victoriam navalem illam Corinthiorum classem advenisse dicit. Denique Gylippum, cum ex interioribus Siciliae regionibus Syracusanis subsidia adducturus esset, ab infestis Sicanis oppressum esse Thucydides, quamquam illum ducem subsidia adduxisse lib. VII cap. 21 sane narrat, non commemoravit.

Capite nono Diodorus Syracusanorum et Atheniensium pugnam navalem, quae in ipso portu facta est, sic fere describit: Cum pedestres Atheniensium milites castris relictis ad mare confluxissent spectandi libidine ducti, Syracusani subito castella invadunt neque ullo labore eos qui accurrebant, repellunt. Unde ubi magnus clamor exortus est atque tumultus, ii Athenienses, qui in navibus erant, de victoria desperantes ad terram, Syracusanis persequentibus, appellere studebant. Sed cum oram ab hostibus occupatam invenissent, iterum in Syracusanorum naves sese converterunt, quas omni ordine soluto persequentes facile singulas superarunt,

Quantopere autem ab his distant ea, quae l. VII c. 23 Thucydides refert! Is enim neque Atheniensium naves ad terram appellere voluisse neque Syracusanos Athenienses persecutos esse dicit, sed eam Atheniensium victoriae fuisse causam statuit, quod Syracusani in portum invehentes nullum servaverint ordinem.

In capite decimo Syracusanorum navium nova ratione exornandarum Diodorus dicit Aristonem Corinthium auctorem fuisse, quem Thucydides aliam ob rem in septimi libri capite trigesimo primo peritissimum navium rectorem nominat.

In undecimo capite solus Diodorus Epipolis oppressis duo milia quingentos Athenienses interfectos esse commemorat.

Capite deinde 13 pugnam navalem inter Syracusanos et Athenienses commissam Diodorus ita describit, ut a Thucydide, qui hac de re libri septimi capite quinquagesimo altero egit, valde haec abhorrere unus quisque videat. Nam, ut unum afferam, quomodo utraque classis disposita sit, nonnisi apud Diodorum legitur. Praeterea autem triduo post illam navalem

pugnam Syracusarum portum obstructum fuisse a Thucydide non commemoratur.

In insequenti capite pueros quoque naves conscendisse, ut patres pugnantes adiuvarent, narratur, id quod Thucydides in libri septimi capite undeseptuagesimo non affert.

Ipsa autem pugna navalis capitibus decimo quinto, decimo sexto, decimo septimo ita describitur, ut Diodorus in ceteris quidem rebus cum Thucydide conspiret, in ea tamen differat, quod, cum is in capite septuagesimo altero sexaginta naves Atheniensibus, minus quam quinquaginta Syracusanis restitisse ex pugna illa dicat, Diodorus in capite decimo septimo, sexaginta Atheniensium naves periisse, Syracusanorum octo prorsus corruptas, sedecim attritas esse refert.

Neque vero id praetermittendum est, quod ad Thucydidis fidem infringendam nonnihil valet, in capite duodevicesimo a Diodoro narrari, Niciam Demostheni naves statim solvendas esse censenti adversatum esse. Thucydides autem in capite septuagesimo altero Niciam cum Demosthene consensisse, milites vero obstitisse tradidit.

Qui denique illius expeditionis exitus fuerit, id ita describit Diodorus, ut non solum a Thucydide, sed etiam ab ea ratione, quam ipse sequi solet, longissime recedat. Nam cum Thucydides omni ornatu spreto in capite octogesimo sexto libri septimi, captos Atheniensium milites in latomias iniectos, Niciam et Demosthenem invito Gylippo necatos esse narret, Diodorus Siculorum concionem proponit, in qua, quid Atheniensibus faciendum sit, quaerentes diversissimas singuli sententias afferunt multisque verbis probare student. Diocli enim, qui tunc summa apud plebem gratia utebatur, milites in latomias iniiciendos, duces autem necandos esse censenti Hermocrates adversatus est. Cuius oratione cum plebs irasceretur, Nicolaus senex, qui duos in bello filios amiserat, extitit Siculosque, ne tam saevum consilium conciperent, monuit. Cui Gylippus Lacedaemonius, qua erat in Athenienses ira atque odio, tam opportuna Athenarum opprimendarum occasione si non uterentur Siculi, turpissimum fore respondit. Itaque factum est, ut milites in latomias intruderentur, Nicias et Demosthenes in carcere obtruncarentur.

Hae autem orationes et omnia ea, quae Diodorus de Atheniensium in Siciliam expeditione narravit, quonam ex fonte

desumpta sint, quaerentibus nobis tres iu mentem veniunt scriptores, quibus Diodorus in rebus Siculis describendis uti potuerit, Timaeus, Philistus, Ephorus.

Atque ex Timaeo haec petiisse Diodorum Carolus Mueller fragm. histor. graec. vol. I p. 190 autumavit, qui si Plutarchei Niciae caput duodetrigesimum respexisset, certe aliter sensisset. Inde enim sequitur, ut Timaeus narraverit invito Gylippo Atheniensium duces ut necarentur, Syracusanos decrevisse et Niciam atque Demosthenem ipsos sibi in carcere mortem conscivisse.

Quae cum ita sint, ex Timaeo hausisse Diodorum illa, de quibus antea egimus, nemo facile credat?

Philistum autem hic a Diodoro adhibitum esse ne putemus, vetamur hisce. Plutarchus in narrandis iis, quae Nicia duce ab Atheniensibus in Sicilia gesta sunt tres praeter ceteros videtur secutus esse rerum Sicelicarum scriptores, Timaeum, Philistum, Thucydidem. Ubicunque enim sententiarum differentia a Plutarcho in Niciae vita commemoratur, illorum scriptorum nomina invenimus, ut in Nicae capite undevicesimo et duodetrigesimo.

Iam vero capitis duodetrigesimi initium neque ex Thucydide neque ex Timaeo desumtum esse potest.

Ad Thucydidem enim quominus illud referamus, id obstat, quod Plutarchus in concione Siculorum diversas de Atheniensibus tractandis sententias propositas esse narrat. Ex Timaeo autem haec depromsisse ideo non videtur Plutarchus, quod ipse iis, quae in initio illius capitis affert, ea opponit, quae Timaeus retulit, dicens ὡς δὲ Τίμαιός φησι. Itaque Philistum adhibitum esse a Plutarcho in iis, quae in initio capitis duodetrigesimi extant, concludemus, id quod aliis quoque argumentis probatur.

Primum enim ipse Philisto summam habuisse videtur fidem, id quod colligendum esse censeo ex iis verbis, quibus Plutarchus in Niciae capite undevicesimo utitur:

κἀκείνου τὸ πᾶν ἔργον γεγονέναι φησὶν οὐ Θουκυδίδης μόνον ἀλλὰ καὶ Φίλιστος, ἀνὴρ Συρακούσιος καὶ τῶν πραγμάτων ὁρατὴς γενόμενος.

Deinde in capite vicesimo septimo, quod cum insequenti arctissime cohaerere videtur, Demosthenem ab hostibus cinctum manus sibi ipsum inferre conatum, sed a Syracusanis, quominus id faceret, prohibitum esse narratur; quod ut neque a

Thucydide neque a Diodoro commemoratur, ita ad Philistum optime refertur quem illud narrasse ex Pausaniae[3]) l. I. c. 29 cognoscimus.

Denique temporis significandi ratio, qua Plutarchus in capite duodetrigesimo utitur, optimo iure hic afferri mihi videtur. Dicit enim haec: ἡμέρα δ' ἦν τετρὰς φθίνοντος τοῦ Καρνείου μηνός, ὃν Ἀθηναῖοι Μεταγειτνιῶνα προσαγορεύουσι. His autem verbis certe Plutarchus non usus esset, nisi ea in doriensi eo scriptore invenisset, quem ipso illo loco adhibuit.

Quodsi statuimus initium capitis duodetrigesimi ad Philistum Syracusanum esse referendum, sequitur, ut is, invito Gylippo Niciam et Demosthenem necatos esse, narraverit. Itaque Diodorus neque ex Thucydide neque ex Timaeo neque ex Philisto ea, quae de Atheniensium in Siciliam expeditione retulit desumpsit. Ad Philistum autem se applicasse Diodorum ne putemus, et iis, de quibus supra egimus, causis monemur et eo dicendi genere, quo Diodorus in copiosis illis orationibus usus est. Philistum enim, quem Cicero pusillum Thucydidem nominat, arido ieiuno implicito dicendi genere usum esse scimus. Ii vero, quos Diodorus illo loco facit concionantes tam eleganter tam terse atque polite tam rhetorice loquuntur, ut eorum oratio summopere abhorreat a Philistea.

Atque invenimus sane a Diodoro omnia ea artificia usurpata, quae a sophistis ac rhetoribus Platonicae aetatis oratoribus suppeditabantur. Nicolaus enim, qui Siculorum misericordiam excitare studet, senex nominatur, qui quamquam duobus ab Atheniensibus orbatus sit filiis, tamen adeo non ulciscendi libidini indulserit, ut Athenienses servandos esse censeret. Oratio autem eius, quae ut a sene habita satis longa est, eam exhibet formam, quae vel Isocrate omnium Graecorum disertissimo digna sit.

Nam non solum sententias ex philosophorum scholis petitas Nicolaus Siculus proponit sed etiam multa ex Graecorum historia depromta exempla affert, et pulcherrime, quantopere Athenae de tota Graecia commeruerint, exponit. Id vero quonam magis pertinet quam ad Ephorum, praesertim cum laudes Athenarum componere scholae Isocrateae summopere fuisse curae inter omnes constet?

3) C. Muelleri fragm. Philisti num. 46.

Accedit quod ipsis Diodori verbis haud semel Thucydideas voces contineri vidimus, quae ad Ephorum optime referuntur. Denique id quoque argumentum videtur esse afferendum quod Aem. Mueller in dissertatione [4]) ea, quae inscribitur. „Der Kimonische Friede", in medium protulit, qui, ut libri decimi tertii caput vicesimum quintum ad Ephorum pertinere probaret, hiatum magna cum sollicitudine a Diodoro vitatum esse ostendit [5]).

Pauca etiam restant de ea ratione, quae inter Diodorum atque Thucydidem intercedit, dicenda. Atque in capite trigesimo quarto quadringentorum magistratum institutum esse et Atheniensium classem ad Oropum contra Lacedaemonios male rem gessisse narratur; haec autem ideo ad Thucydidem referri nequeunt, quod Diodorus inter Atheniensium duces discordiam fuisse commemorat, quam rem Thucydides in libri octavi capite nonagesimo quinto non affert. Quum autem haec arctissime cum iis, quae Diodorus de rebus Siculis narrat, cohaereant, Ephorum hoc quoque loco adhibitum esse putabimus.

At vero capite trigesimo sexto iterum, pluribus sane verbis, summam potentiam quadringentis viris traditam et Atheniensium classem ad Oropum fugatam esse narratur.

Quae repetitio quomodo explicanda sit quaerens quis facile in eam sententiam inclinet, uti alium hic alium illic a Diodoro adhibitum esse scriptorem putet. At de quonam praeter Ephorum cogitari potest rerum scriptore? An Theopompo? At id mihi quidem parum videtur esse verisimile.

Nam primum id Theopompi opus, ex quo haec a Diodoro petita esse quispiam putet hellenicas historias, non a fine Siculae expeditionis sed a pugna ad Sestum facta incepisse ex iis cognoscimus, quae Diodorus in capite quadragesimo altero dicit: τῶν συγγραφέων Θουκυδίδης τὴν ἱστορίαν κατέστρεψε· Ξενοφῶν δὲ καὶ Θεόπομπος, ἀφ' ὧν ἀπέλιπε Θουκυδίδης, τὴν ἀρχὴν πεποίηνται.

Deinde autem haec quoque respiciantur.

---

4) programm. gymn. Freibergensis 1866. pag. 8.

5) Christianus quoque Volquardsen ea, quae Diodorus de Atheniensium in Siciliam expeditione narravit, ex Ephoro desumta esse statuit, minime vero demonstravit p. 103.

Cum Theopompum nobilitatis studiosissimum fuisse sciamus, eum, qui cum ira et studio narraret etiam res multis annis antea factas, et a Lacedaemoniorum et a quadringentorum illorum optimatium partibus stetisse verisimile est. At vero capitis trigesimi sexti initium qui legerit, eum scriptorem, ex quo haec petita sunt, concedet summopere admiratum esse Atheniensium constantiam atque perseverantiam, qui vel gravissimis malis oppressi de principatu cum Lacedaemoniis contendere non destitissent. Et praeterea si Theopompum ut omnium optimatium ita quadringentorum quoque illorum partem amplexum esse in narrandis rebus Graecis statuimus, quomodo explicanda sunt haec verba: ὑπελάμβανον γὰρ τὴν ὀλιγαρχίαν, εὐθετωτέραν εἶναι τῆς δημοκρατίας ἐν ταῖς τοιαύταις περιστάσεσιν· οὐ μὴν τά γε πράγματα κατὰ τὴν ἐκείνων ἠκολούθησε κρίσιν, ἀλλὰ πολὺ χεῖρον διῴκησαν τὸν πόλεμον; id quod eo probatur, quod quadringenti illi duos inter se discordes duces classi praefecerint. In ipsa autem hac re narranda diversissimis ingeniis scriptores, Ephorus et Theopompus, si prorsus inter se consentirent, per mihi mirum videretur[6]) esse, praesertim cum ea ratio, qua Diodorus utroque loco pugnam ad Oropum factam describit, maxime ab ea abhorreat, quam Thucydides in libri octavi capite nonagesimo quinto secutus est. Is enim pugnam illam navalem commissam esse narrat, postquam viri illi quadringenti imperio orbati sint neque ducum discordia factum esse dicit ut Athenienses vincerentur, sed ea re, quod summa cum celeritate nullum habentes ordinem Atheniensium naves hostium classem persecutae sint.

Denique quominus caput tricesimum sextum ad Theopompum referendum esse censeamus, ea quoque re prohibemur, quod inde a capite tricesimo septimo usque ad caput quadragesimum alterum Diodorum Ephoro usum esse apparet. Nam ad Thucydidem quidem capita ista arctissime inter se cohaerentia, quibus pugna potissimum ad Sestum facta describitur, non pertinere una hac re comprobatur, quod Diodorus solus, cum anceps esset proelium, subito viginti sociorum naves Atheniensibus auxilio venisse dicit, quorum adventu adeo perterriti sint hostes, ut statim fugerent.

---

6) Idem argumentum Christianus quoque Volquardsen pag. 127 leviter, uti solet, perstrinxit omisso eo, quod summi est momenti, Thucydidem prorsus aliter hanc rem narrare.

Cum autem Ephorus in capite 41 a Diodoro nominatim afferatur, omnia ea, quae inde a capite 42 narrantur, ex Ephoro desumta esse consentaneum est. Accedit quod altera capitis 42 paragraphus, quam ad Ephorum referre nemo dubitabit, simillima est alteri 38 capitis paragrapho.

Verba autem haec sunt.

in capite 38.	in capite 42.
τούτων δὲ πάντων εἰcηγητὴc ἦν Θηραμένηc, ἀνὴρ βίῳ κόcμιοc καὶ τῇ φρονήcει δοκῶν διαφέρειν τῶν ἄλλων. καὶ γὰρ τὸν Ἀλκιβιάδη οὗτοc μόνοc cυνεβούλευcε κατάγειν.	καὶ γὰρ ὁ τῆc πολιτείαc τότε ἀφηγούμενοc Θηραμένηc ἀνὴρ εἰ καί τιc ἄλλοc δόξαc cυνετὸc εἶναι τῷ δήμῳ cυνεβούλευcε κατάγειν τὸν Ἀλκιβιάδη.

Quae cum ita sint, non possumus non statuere Diodorum in omnibus iis narrandis, quae Thucydidis quoque libris continentur, unum Ephorum secutum esse ducem, eum vero Thucydidis libris quasi fundamento usum esse.

II.

Quosnam scriptores secutus sit Diodorus in narrandis rebus Romanorum antiquissimis.

Iam vero, quibus fontibus Diodorus in antiquissimis Romanorum rebus narrandis usus sit, quaerenti mihi primum quidem Mommsenius, vir unus omnium sagacissimus, summa vi est oppugnandus.

Is enim in eius libri, quo de Romanorum chronologia egit, pag. 152 Diodorum ex eodem fonte et Albanorum regum indicem, qui in Diodori fragmento ab Eusebio in priore canonum libro conservato extat, et eam computandi rationem, ex qua Roma altero septimae olympiadis anno condita esse dicitur, desumsisse statuit; quod uti sentiret, eo potissimum inductus est, quod de ea necessitudine, quae inter Diodori illud fragmentum et reliquos Albanorum regum indices, qui apud Eusebium et Hieronymum extant, falso iudicavit.

In illo enim Diodoreo fragmento hi Albanorum regum anni numerantur:

Aeneas vixit post Ilium captum		6	annos
Ascanius	regnavit:	38	„
Silvius	„ :	29	„
Aeneas Silvius	„ :	30	„
Alba	„ :	38	„
Latinus Silvius	„ :	50	„
Epitus	„ :	26	„
Capys	„ :	28	„
Calpetus	„ :	13	„
Tiberin. Silvius	„ :	8	„
Agrippas	„ :	41	„
Aemulus Silvius	„ :	19	„
Aventinus	„ :	37	„
Procas Silvius	„ :	23	„
Amulius	„ :	42	„

Hos autem numeros ita mutavit Mommsenius[7]), ut pro 30—31, pro 38—39, pro 50—51 scriberet. Atque 30 in 31 et 38 in 39 iure immutare sibi visus est ideo quod et Dionysius Halicarnassensis et reliqui Eusebii indices hos numeros exhibent. Eusebium vero omnes suos indices ex ipso Diodoro petiisse censet[8]). At si id ita est, quo iure Mommsenius numerum 51 ex Dionysio depromsit, quamquam in nullo Eusebiano indice hic numerus extat?

Sed etiamsi eum indicem, ex quo Eusebius suos numeros desumsit, sane illos numeros 31, 39, 51 exhibuisse cum Mommsenio statuimus, minime is index Diodoreus vocari potest, quod quo iure dicam, ut appareat, eum indicem, quem Mommsenius Diodori fuisse opinatur, apponam.

Aeneas	p. I. c.	vixit 6	annos
Ascanius	regnavit:	38	„
Silvius	„	29	„
Aeneas Silv.	„	31	„
Alba	„	39	„
Latin. Silv.	„	51	„
Epitus	„	26	„
Capys	„	28	„
Calpetus	„	13	„
Tiberin. Silv.	„	8	„
Agrippas	„	41	„
Aremul. Silv.	„	19	„
Aventinus	„	37	„
Procas Silv.	„	23	„
Amulius	„	42	„

Horum numerorum summa est 431. Is vero numerus quomodo explicari potest, si ad Diodori computandi rationem refertur?

Diodorus enim cum altero septimae olympiadis vel 433 post Ilium captum anno Romam conditam esse statueret, de-

7) chronol. roman. pag. 159.

8) chron. rom. p. 159 adn. 312: „Wir haben diese Liste aus drei Quellen, aus Diodor, von dem Eusebius, Hieronymus, Cassiodor, Syncellus abhängen.“ idem dicit in adnot. 308.

bebat ab Ilio capto usque ad Romam conditam numerare annos 432, non 431[9]). Mommsenius autem, qui hac de re pag. 159 disputavit, perperam hanc annorum summam uno auxit.

Ut enim Dionysius primum Numitoris regni annum suo Albanorum regum indici per merum errorem adiecit, ita in Diodori quoque indice illum unum annum Mommsenius numeravit, quod prorsus falsum esse unus quisque videt. Nam si per errorem Dionysius illum annum adiecit, ipse autem in summa non numeravit, profecto nulla est causa, cur Diodorum quoque non solum commemorasse, sed etiam in computando numerasse illum annum putemus[10]).

Quam ob rem cum ille index, quem Diodori censet esse Mommsenius, non 432 sed 431 annos contineat, ad Diodorum illi quidem numeri minime referri possunt. Immo vero iste index ad eum scriptorem pertinet, qui, cum primo septimae olympiadis anno Romam conditam esse statueret, ab Ilio capto usque ad Romam conditam annos 431 numeravit. Talem autem indicem revera ab Eusebio in conficiendis suis indicibus adhibitum esse ex loco aliquo Eusebii apparet, de quo Mommsenius prorsus falso iudicavit.

In priore enim chronicorum canonum libro fragmentum illud ex ipso Diodoro petitum haec subsequuntur[11]):

„Iam et singillatim Romanorum reges hi sunt:

Aeneas	$3 + 3 =$	6	
Ascanius	regnavit:	38	annos
Silvius Aen.	„	28	„
Aeneas Silv.	„	31	„

9) Mommsen. chronol. rom. p. 153.

10) Mommsenius eo minus id statuere debebat, quia neque Eusebius neque Hieronymus, quos indices suos e Diodoro hausisse censet, illum Numitoris annum commemorant. Ceterum de hoc Diodori indice disputans Mommsenius mirum in modum semper dicit singulorum numerorum, quos ipse in pag. 159 affert, summam esse 433; immo vero sunt 432 anni adiecto illo Numitoris anno.

11) Apud Zohrabium est pagina 214.

Latinus Silv.	regnavit:	50	annos
Alba Silv.	„	39	„
Epitus Silv.	„	26	„
Capys Silv.	„	28	„
Calpetus Silv.	„	8	„
Agrippa Silv.	„	35	„
Amulius Silv.	„	19	„
Aventius	„	37	„
Procas	„	23	„
Amulius	„	42	„

Romulus, ait Eusebius, Romam condit regnatque septima Olympiade. Porro ab Aenea ad Romulum anni sunt CCCCXLVIII, ab Ilio capto autem anni CCCCXXXI."

Hunc autem locum respiciens Mommsenius, qui recte CCCCXLVIII commutavit in CCCCXXVIII, in adnotatione 294 sic loquitur:

„431 Jahre bei Eusebius, (wo von Aeneas bis Romulus zuerst 428, von Trojas Fall bis auf Romulus zuerst 431, nachher 441 gezählt werden, aber in der Summirung die letzte Zahl wieder richtig als 431 auftritt) in Listen die aus den früher mitgetheilten diodorischen Zahlen zusammengestellt sind."

Haec quomodo vir ille sollertissimus dicere potuerit, ego non intellego.

Ante omnia enim Eusebium, cum haec scriberet, non Diodorum ante oculos habuisse inde apparet, quod Romam primo Olympiadis septimae anno conditam esse dicit. Itaque nihil aliud statui potest nisi hoc, aut Eusebium Diodori numeros ad suam computandi rationem accommodasse aut ex Dionysio illum locum desumtum esse. Ad Eusebii ipsius computandi rationem autem haec referri non possunt ideo quod is ab Ilio capto usque ad Romam conditam non 431, sed 428 annos numeret necesse est.

In armeniae enim Eusebii versionis parte altera — est apud Schoenium pagina 52 — ad annum ab Abraham nato 835 haec adnotata sunt: „Ilium captum et a captivitate Ilii usque ad primam olympiadem anni 405." Cum igitur secundum Eusebii computandi rationem primus olympiadis primae annus sit 405 ab Ilio capto annus, septimae olympiadis annus primus, quo

Romam conditam esse statuit Eusebius, annus ab Ilio capto est 429, ita ut ab Ilio capto usque ad hunc annum computentur anni 428.

Quodsi iste numerus 431, quem Eusebius commemorat, neque cum Diodorea neque cum Eusebiana computandi ratione congruat, ad Dionysium eum referendum esse apparet, qui cum primo olympiadis septimae anno Romam conditam esse narraret, ab Ilio capto usque ad Romam conditam debebat 431 [12]) annos numerare.

Iam vero cum Eusebium hoc loco eos numeros ante oculos habuisse, quos ipse supra [13]) Dionysii esse dixit, videamus, in eo quoque indice componendo, qui hos ex Dionysio ipso petitos numeros proxime antecedit, Dionysianum Albanorum regum indicem ab Eusebio respectum esse verisimile est, id quod singulis quoque numeris eorum indicum, qui apud Eusebium et Hieronymum inveniuntur, probatur. Omnes enim hi indices ita comparati sunt, ut cognoscamus, omnium fundamentum esse talem indicem, in quo ab Ilio capto usque ad Romam conditam anni 431 numerati fuerint, ex quibus Eusebius, cum ab Ilio capto usque ad Romam conditam statueret esse annos 428, tres omittere debebat, id quod in alio indice aliter factum est.

Quod quo planius sit, ante omnia eum indicem afferemus, qui in Dionysii Halicarnassensis libri I capitibus 64, 65, 70, 71 reperitur:

Aeneas	6
Ascanius	38
Silvius	29
Aeneas Silv.	31
Latinus	51
Alba	39
Epitus	26
Capys	28
Calpetus	13

12) Dionys. Halic. antiqu. rom. l. I. cap. 71. τῷ δ᾽ ἑξῆς ἔτει τῆς Νεμέτωρος ἀρχῆς δευτέρῳ δὲ καὶ τριακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν — κτίζουσιν Ῥώμην ἔτους ἐνεστῶτος πρώτου τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος.

13) Exeunte l. I. cap. 44. apud Zohrab. pag. 203.

Tiberin. Silv.	8
Aprippas	41
Aremulus	19
Aventius	37
Procas Silv.	23
Amulius	42

Praeterea autem Dionysius, quamquam ipse in capite 71 Romam anno ab Ilio capto 432 conditam esse dicit, unum Numitoris annum adiecit, quasi Roma non 432, sed 433 ab Ilio capto anno condita esset.

Mommsenius autem alium etiam in illo catalogo componendo commisisse errorem Dionysium in adnotatione 312 iniuria statuit. Ibi enim eorum numerorum, quos Dionysius exhibet, summam esse dicit 433, quem numerum ita explicandum esse censet, ut Dionysium talem Albanorum regum indicem respexisse statuamus, in quo altero septimae olympiadis anno Romam conditam esse dictum ideoque ab Ilio capto usque ad Romam conditam 432 anni numerati fuerint. Ex his autem 432 annis Dionysium, quamquam unum omittere debuerit, quia non ad alterum sed ad primum septimae olympiadis annum computaverit, tamen non solum nullum omisisse, sed etiam insuper illum Numitoris annum adiecisse exponit Mommsenius [14]. Verumtamen Dionysii numerorum addito illo Numitoris anno summa non 433, sed 432 anni sunt.

Ceterum ego hunc Mommsenii in computando errorem accuratius tractavi, quia hic locus non minimi est momenti ad decidendam eam quaestionem, unde ipse Dionysius illum indicem petiverit, qua de re postea agemus.

Nunc vero ad Eusebium redeamus. Is enim, cui ex 431 Dionysii annis — nam illum Numitoris annum recte neglexit Eusebius — tres anni omittendi erant, in priore canonum chronologicorum libro hunc Albanorum regum indicem exhibet [15].

Aeneas	6
Ascanius	38
Silvius Aeneas	28
Aeneas Silvius	31

---

14) chronol. rom. p. 159 adn. 312.

15) Zohrab. pag. 213 et 214.

Latinus Silvius	50
Alba Silvius	39
Epitus Silvius	26
Capys Silvius	28
Calpetus Silvius	13
Tiberius Silvius	8
Agrippa Silvius	35
Amulius Silvius	19
Aventius Silvius	37
Procas Silvius	23
Amulius Silvius	42

In hoc vero indice numerus XXXV cum nulla ratione explicari possit, mutandus est in XXXX, quem numerum apud Hieronymum quoque inveniemus. Quae emendatio si probatur, summa horum numerorum existit 428.

Quibus autem locis Dionysianus index ab Eusebio immutatus sit, luculenter apparet; scripsit enim pro 51—50, pro 29—28, pro 41—40.

Deinde in armenia alterius partis Eusebii versione hi numeri extant.

Aeneas	6	
Ascanius	38	
Silvius	29	
Latinus Silvius	31	
Aeneas Silvius	50	
Alba	39	
Epistus Silvius	26	
Capys	28	desunt hi numeri in codice.
Carpentus	13	
Tiberinus Silvius	8	
Agrippa Silvius	41	
Aremulus Silvius	19	
Aventius Silvius	37	
Procas Silvius	21	
Amulius Silvius	42	

In hoc quoque catalogo, si eum cum Dionysiano comparamus, triennium illud omissum esse videmus. Nam pro 51—50 et pro 23—21 exhibetur.

Denique is index respiciendus est, quem Hieronymus in medium protulit, cuius numeri hi sunt:

Aeneas	6
Ascanius	38
Silvius Postumus	29
Aeneas Silvius	31
Latinus Silvius	50
Alba Silvius	39
Silvius Attius	24
Capys Silvius	28
Carpentus Silvius	13
Tiberinus Silvius	8
Agrippa	40
Aremulus Silvius	19
Aventinus Silvius	37
Procas Silvius	23
Amulius Silvius	43

(44 enim Amulii anno Roma condita est).

Is autem catalogus ita compositus est, ut pro 51—50, pro 26—24 scriberetur.

Ex iis, quae disserui, id quidem luculenter apparere videtur, Eusebium talem indicem ante oculos habuisse, in quo ab Ilio capto usque ad Romam conditam 431 numerati sint anni. Qui numerus, cum minime cum Diodori in computando ratione congruat, ad Dionysium utique est referendus. Quodsi Eusebius suos indices ex Dionysio non ex Diodoro, ut putat Mommsenius, desumsit, falso Mommsenius illos Eusebianos indices adhibuit ad numeros eos emendandos, qui in illo Diodori fragmento extant.

Iam vero cum nullus locus extet, ex quo, quot annos Albanorum regibus tribuerit Diodorus, cognosci possit, nunc quidem eos numeros recte se habere putemus necesse est, qui in fragmento illo Diodoreo inveniuntur. Horum autem numerorum cum summa sit 428, nullo modo statuere possumus Diodorum et Albanorum regum indicem et illam computandi rationem, ex qua Roma altero septimae olympiadis anno condita est, ex eodem fonte petiisse.

Accedit autem aliud quoque argumentum.

Castorem enim chronographum, ex quo Diodorum illa de-

promsisse putat Mommsenius[16]), non ita computasse verisimile est, ut Romam altero septimae olympiadis anno conditam esse statueret. Si quis enim Romam altero septimae olympiadis anno conditam esse dicit, id duabus rationibus explicari potest[17]).

Aut enim a primo olympiadis duodeseptuagesimae (Ol. 68, 1) anno, quo liberam rempublicam factam esse traditur, 243 annos, per quos Romae reges fuere, numerat, aut si reges 244 annos rempublicam administrasse statuit, eam computandi rationem, quae in fastis adhibita est, sequens tertium decemvirorum annum debet omittere.

Atqui Castorem, regium imperium Romae per annos 244 extitisse, scimus[18]) narrasse; quam ob rem, si Romam altero septimae olympiadis anno conditam esse dixisset, eam computandi rationem adhibuisset, quae in fastis cernitur. Cum vero nullum antiquum scriptorem noverimus, qui fastos in computando secutus sit[19]), ne Castorem quidem eos secutum esse verisimile est.

Iam vero cuiusnam auctoritate commotus sit Diodorus, ut Romam altero septimae olympiadis vel 433 ab Il. capt. anno conditam esse statueret, quaerentes vix dubitabimus, quin Apollodorum Atheniensem secutus sit, cuius rationes in computando plerumque probavit[20]).

Nam primum quidem id certissimum est, Apollodorum ab Ilio capto usque ad primam olympiadem annos 407 computasse, id quod luculentissime ex eo loco apparet, quem ipse Diodorus (l. I, 5) exhibet: ἀπὸ δὲ τῶν Τρωικῶν ἀκολούθως Ἀπολλοδώρῳ τῷ Ἀθηναίῳ τίθεμεν ὀγδοήκοντα ἔτη πρὸς τὴν κάθοδον τῶν Ἡρακλειδῶν, ἀπὸ δὲ ταύτης ἐπὶ τὴν πρώτην ὀλυμπιάδα δυςὶ λείποντα τῶν τριακοςίων καὶ τριάκοντα κ. τ. λ. (80 + 328 = 408).

Quodsi Apollodorus primam olympiadem annum ab Ilio capto statuit esse 408, alter septimae olympiadis annus ei

16) chronol. roman. pag. 156.
17) Mommsen. chronol. rom. p. 144.
18) Euseb. l. I c. 48. Zohrab. pag. 217.
19) Mommsen. chron. rom. pag. 148.
20) I, 5, XII, 1, XIV, 2, XIX, 1, XX, 2, vid. quoque Chr. Volquardsen cap. III.

erat ab Ilio capto annus 433, quem numerum Diodorus in fragmento illo exhibet.

Apollodorum autem narrasse, Romam altero septimae Olympiadis anno conditam esse, ex his duobus locis cernitur. Cicero enim in eius libri, quo de republica egit, partis alterius cap. X haec dicit: „Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno olympiadis septimae, in id saeculum cecidit Romuli aetas, cum iam plena Graecia poetarum et musicorum esset, minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. Nam centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias, quam quidem nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant".

Atque totum hunc locum ad Apollodorum esse referendum ex ultimis verbis certissime colligitur. In Porphyriano enim aliquo loco ab Eusebio conservato Apollodorum ab Ilio capto usque ad Lycurgi aetatem 299 (50 + 80 + 159) annos numerasse commemoratur; inter primam autem olympiadem et Ilium captum Apollodorus cum sumeret esse annos 407, a Lycurgi aetate usque ad primam olympiadem annos numeravit 108 (299 + 108 = 407).

Alter autem locus, ex quo Romam altero septimae olympiadis anno esse conditam docuisse Apollodorum cernitur, exstat apud Solinum l. I. c. 27: „Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio opinionem Eratosthenis et Apollodori comprobantibus olympiadis septimae anno secundo." Denique ea quoque re, ut illum numerum ad Apollodorum referamus, commovemur, quod is ea aetate vixit, qua ab Roma condita usque ad reges expulsos a rerum scriptoribus plerumque annos 243 numeratos esse satis constat.

Iam vero ad Albanorum regum indicem, de quo iam supra disputavimus transeuntes, ex quonam scriptore eum petiverit Diodorus, quaeremus.

Qua in quaestione ut certo fundamento nitamur, haec sunt imprimis respicienda, primum illum indicem octavo demum urbis saeculo apud scriptores inveniri, deinde eum ad Graecos scri-

---

21) Zohrab. p. 139.

ptores esse referendum, id quod satis ex singulis regum nominibus apparet[22]).

Praeterea ne id quidem praetermittendum est inter Diodorum et Dionysium non solum numerorum, sed etiam earum historiuncularum, quae de singulis regibus narrantur, summam esse similitudinem.

Dionysium autem, si Mommsenius Dionysianorum numerorum summam 433 esse recte dixisset, indicem ex tali fonte hausisse putaremus, in quo dictum esset, Romam altero septimae olympiadis anno esse conditam. Nunc vero haec necessitas non extat, quia falso Mommsenium computasse supra diximus.

Atque Kiesslingius[23]) optime demonstrasse mihi videtur praeter vetustiores scriptores Dionysium Varronis quoque libros ante oculos habuisse. Quem cum primum ex Romanis rerum scriptoribus Albanorum regum indicem cognosse ex iis, quae postea disseremus, appareat, a Dionysio ad componendum illum indicem adhibitum esse perquam est verisimile[24]). Varronem autem omnino nosse illum indicem ex hoc loco summa cum probabilitate concluditur, qui extat in eo libro, quo de lingua latina egit (1, 5): „Sunt qui Tiberim priscum nomen Latinum Albulam vocitatum literis tradiderunt, posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit, nam hoc eius ut tradunt sepulcrum, et eiusd. lib. cap. 7:

Aventinum — alii ab rege Aventino Albano quod ibi sit sepultus."

Atque hoc loco Varro cum de regibus istis ita loquatur, quasi omnibus noti sint, in eo quoque libro, quo de gente populi Romani egit, illum indicem exhibuisse videtur. Quem ut suae computandi rationi accommodaret, Dionysius complura debebat immutare.

Varro enim, quem cum Attico in eo consensisse scimus[25]), Romam tertio sextae olympiadis anno conditam esse, hunc annum pro 430 ab Ilio capto habuerit necesse est, cui numero

22) Mommsen. chron. rom. pagg. 155, 156 sequ.

23) de Dionysii Halicarnassei antiquitatum auctoribus latinis. Lipsiae 1858 pag. 42.

24) Kiesslingius quoque pag. 41 id suspicatus est.

25) Mommsen. chron. rom. p. 147.

Dionysius, qui septimae olympiadis anno primo Romam conditam esse statuit, duos annos addere debebat; quod quo loco fecerit, Dionysianum indicem cum Diodoreo comparantes statim videbimus. Scripsit enim Dionysius pro 30—31 et pro 38—39 ideoque prorsus recte ipse dicit, ab Ilio capto usque ad Romam conditam esse annos 431 (nam 432 auno Roma secundum Dionysium est condita). Mirum autem in modum unum quoque Numitoris annum adiecit, quasi Roma anno ab Ilio capto 433 esset condita.

Sed in Diodori quoque indice mendum aliquod est. Eorum enim numerorum, qui in fragmento isto Diodoreo extant, summa est 428, qui numerus utique pro falso habendus est, quia id quidem nulla ratione statui potest Diodorum indicem illum ex scriptore quodam hausisse, cui Romam altero sextae olympiadis anno (Ol. 6, 2) conditam esse placuerit.

Immo vero Diodorus talem indicem ante oculos habuisse videtur, in quo ab Ilio capto usque ad Romam conditam anni 429 numerati fuerint. Quem numerum qui exhibet, anno tertio sextae olympiadis Romam conditam esse debet statuere. Lenissimam autem Diodori numerorum eam esse emendationem puto, ut pro 50 scribatur 51, qui numerus non solum apud Dionysium sed etiam apud chronographum anni 354, qui vocatur, reperitur. (Mommsen. chronol. rom. p. 159).

Quodsi et Dionysius et Diodorus talem indicem adhibuisse videntur, in quo ab Ilio capto usque ad Romam conditam anni 429 numerati sint, num Diodorum quoque ex Varrone numeros suos desumsisse putabimus? Id quominus censeamus, complura obstant.

Nam primum quidem Diodorum scriptoribus usum esse, qui latine scripserunt, parum est verisimile neque ullo exemplo probatur.

Deinde autem Diodorus ideo Varronis libros non bene adhibere poterat, quia hi nimis copiosi erant et potius ad antiquitates quam ad historiam pertinebant, Diodorus autem neque internas civitatum res respicere solebat et res Romanas quasi per transennam, ut ait Cicero, adspiciebat.

Itaque cum ex ipso Varrone indicem illum hausisse Diodorum parum verisimile sit, et Diodorum et Varronem, cuius

libris usus est Dionysius, eundem fontem adhibuisse consentaneum est.

Iam vero, qualis is fons fuerit, quaerentes omnino de duobus rerum scriptoribus cogitare nos posse optime demonstravit Mommsenius [26]), Alexandro Sullae liberto, qui Polyhistor vocatur, et Castore chronographo, Deiotari regis genero.

Ad Alexandrum autem quominus Dionysii et Diodori indices referamus, prohibemur Servii verbis, qui ad Aeneidos libri octavi versum 843 haec adnotavit:

„Quod Livius dicit, ab Albano rege Tyberino Tiberim dictum, non procedit ideo quod etiam ante Albam Tiberis dictus invenitur. Sed hic Alexandrum sequitur, qui dixit, Tyberinum Calpeti filium venantem in hunc fluvium incidisse". Diodorus enim et Dionysius contra Etruscos contendentem Tiberinum in fluvium incidisse narrant.

Neque vero Alexander certos singulorum regum numeros exhibuisse videtur, siquidem illud, quod Servius dixit, verum est, Livium eum esse secutum. Praeterea Alexandrum statuisse Romam tertio sextae olympiadis anno conditam esse parum verisimile est, propterea quod Atticus, qui primus illam computandi rationem adhibuit, sat multis annis post Sullae mortem librum annalem composuit. Denique gentis Iuliae genealogia Caesaris demum aetate ab ipsis rerum scriptoribus comprobata et in rebus Romanorum narrandis respecta esse videtur. Itaque ultro in eam sententiam inducimur, ut Castorem et a Varrone et a Diodoro adhibitum esse putemus.

Atque Varronem quidem omnino Castoris opera respexisse ex Augustini aliquo loco cernitur. Is enim de civitate Dei XXI, 8, 2 haec dicit [27]): „Est in Marci Varronis libris, quorum inscriptio de gente populi Romani: Castor scribit in stella Veneris tantum portentum extitisse" e. q. s.

Diodorum autem et ipsum Castoris libros non neglexisse ex eo Diodori fragmento ab Eusebio [28]) conservato apparet, quo ii populi enumerantur, qui aliquamdiu mari regnaverunt. Quem locum ex Castore depromtum esse, quamquam Suidas

---

26) chronol. rom. p. 155 seq.
27) C. Mueller fragm. chronographorum graecorum p. 176.
28) Euseb. I cap. 36. Zohrab. p. 168.

eum περὶ θαλασσοκρατούντων scripsisse dicit, Carolus Mueller[29]) propter temporum rationes negavit.

Verumtamen neque quo anno Castor librum suum ediderit, neque quo anno Diodori bibliotheca in lucem prodierit, scimus; verisimillimum autem est, Castorem exeunte quarta saeculi primi ante Christum natum decade chronica sua edidisse, cum Diodorum etiam Augusto regnante Romae fuisse constet.

Castoris opera a Suida his verbis commemorantur:

ἔγραψε δὲ ἀναγραφὴν Βαβυλῶνος καὶ τῶν θαλασσοκρατησάντων ἐν βιβλίοις β', χρονικὰ ἀγνοήματα καὶ περὶ ἐπιχειρημάτων ἐν βιβλίοις θ' (ε'), περὶ πειθοῦς β', περὶ τοῦ Νείλου, τέχνην ῥητορικὴν καὶ ἕτερα.

In his autem titulo ἀναγραφὴ Βαβυλῶνος non peculiare opus, sed partem chronicorum indicari recte perspexit Carolus Mueller. ἀναγραφὴ enim est catalogus vel index, quales multos Sicyoniorum Argivorum aliorum regum Eusebius ex Castoris chronicis depromsit. Eodem autem iure eum titulum ἀναγραφὴ — καὶ τῶν θαλασσοκρατησάντων non ad peculiarem librum sed ad chronica pertinere mihi videor dicere. Atque haec Castoris chronica, quae ex Eusebio[30]) sex libris constitisse scimus, Mueller ab eo libro quem Suidas χρονικὰ ἀγνοήματα nominat, distinguenda esse putans χρονικὰ illa ἀγνοήματα quasi chronicorum mantissam, in qua errores quosdam chronologicos emendaverit, fuisse censet, id quod mihi quidem parum verisimile videtur esse.

Cum igitur, ut ad Diodorum redeamus, ille index populorum mari dominantium ex Castoris chronicis depromtus sit, in componendo Albanorum regum catalogo quoque Castorem a Diodoro adhibitum esse putabimus, id quod Mommsenius quoque opinatur.

Quodsi Diodorus indicem illum e Castoris chronicis hausit, Castor Romam tertio olympiadis sextae anno conditam esse statuerit necesse est. Verum enim vero, quominus id statuisse Castorem putemus, obstare videtur hoc Castoris fragmentum ab Eusebio[31]) conservatum:

„Castoris de regno Romanorum:

---

29) fragmenta chronog. graec. p. 180.
30) Euseb. I c. 41 Zohrab. p. 195.
31) Euseb. I c. 48.

Romanorum reges singillatim enumeravimus ducto initio ab eo tempore quo Aeneas Anchisae filius Latinorum regnum capessivit, desivimus autem in Romulium Silvium, quem Romulus interfecit Rheae matris suae patruum. Nunc his addemus Romulum et ceteros, qui post hunc Romae cum imperio praefuerunt, usque ad Tarquinium Superbum, qua temporis summa anni fiunt 244. Postea consules ordinatim explicabimus capto quidem exordio a Lucio Iunio Bruto et Lucio Tarquinio Collatino, concluso autem opere in Marco Valerio Messala et Marco Pisone, qui consulatum gesserunt Theophimo archonte Athenis. Atque horum anni ad quadringentos sexaginta consurgunt. Haec Castor."

Ex his autem numeris, si recte se haberent, sequeretur, ut Castor Romam anno a. C. n. 765 vel quarto tertiae olympiadis anno conditam esse statuisset (61 + 460 + 244 = 765); id quod ideo parum verisimile est, quia, si illud computum adhibuisset, ei nova duodecim consulum paria fastis inserenda erant.

Atque hoc quidem loco ipsius Eusebii errorem extare primus vidit Zohrabius, qui ad fragmentum illud Castoris haec adnotavit:

„Secundum vulgatos fastos anni aliquot detrahendi sunt. Hic enim annorum 460 numerus interest inter Brutum et Iulium Caesarem, ut capite superiore dictum est."

Iste autem Eusebianus locus, de quo modo disputavimus, eam quoque ob causam respiciendus est, quia inde luculenter apparet, Castorem revera Albanorum regum indicem exhibuisse.

Accedit quod ille index ita compositus est, ut summopere cum Castoris scribendi genere congruat. Scimus enim Castorem etymologiam summopere adamasse; et profecto in illo exiguo fragmento Diodoreo tria nomina nobis occurrunt etymologice explicata. Alba enim urbs ab Alba amni nomen invenisse dicitur, Aventinus mons a rege Aventio, qui prope eum pugnans ceciderit, Tiberinum denique regem narrat Diodorus nomen indidisse Tiberi, in quo ipse vitam amiserit.

Denique id quoque optime in Castorem quadrat, quod gentis Iuliae genealogia tam accurate exponitur. Constat enim Castorem, Caesarem ut sibi conciliaret, Deiotarum socerum incusasse.

Ex iis, quae adhuc disputavi, cum Diodorum Albanorum regum indicem e Castoris chronicis desumsisse appareat, facile in eam sententiam inclinamus, uti aliis quoque locis Castorem a Diodoro adhibitum esse putemus. Mommsenius vero praeter catalogum illum et regii imperii annorum summam 244 e Castore quidquam a Diodoro in rebus Romanorum narrandis depromtum esse negat. Iniuria — nam ea quidem, quae Diodorus de Romanorum regibus narrat, ita sunt comparata, ut duobus certe locis Diodorum recentiorem fontem adhibuisse videamus.

Quarto enim libri octavi fragmento[32]) narratur, cum Romulus et Romus auspicarent, Romulum fratrem fraude et dolo decepisse.

Id autem non ad Fabium Pictorem, ex quo Mommsenius Dio dorum omnia depromsisse putat, quae ad Romanas res antiquissima pertinent, referendum esse inde cognoscitur, quod Livius[33]), quem in prioribus libris prae ceteris scriptoribus Fabium secutum esse constat[34]), illam Romuli-fraudem non commemorat et Dionysius[35]) quoque atque Plutarchus[36]), qui et ipsi in antiquissimis Romanorum rebus narrandis summam fidem Fabio habuisse videntur, afferunt sane illam Romuli fraudem, sed ita ut antea ea ratione rem describant, qua Livius utitur, et alteri narrationi eos non multum fidei habere appareat.

Praeterea Castorem a Diodoro adhibitum esse in eo puto, quod Diodorus Remum muros transsilientem a Celero quodam (ᾧ ὄνομα ἦν Κέλερος) interfectum esse dicit. Livius[37]) enim a Romulo ipso Remum occisum esse narrat. Atque Dionysius[38]) et Plutarchus[39]) altero demum loco Celerum vel Celerem Remo manus intulisse afferunt, quam narrationem ad

32) In indicandis fragmentorum numeris C. Muellerum secutus sum, qui in Diodori editione Parisiis anno h. s. 44 parata fragmenta singulis libris inseruit.

33) I, 7.

34) Lachmann de fontibus Livii I p. 13.

35) I, 87.

36) Romul. c. 9.

37) I, 7.

38) I, 87.

39) Romul. c. 9.

Valerium Antiatem pertinere recte demonstrarunt Liebaldtus[40]) Kiesslingius[41]) Peter[42]).

Denique Eusebianus is locus respiciendus est, ex quo Mommsenius in regum Romanorum temporibus computandis Diodorum non solum Fabium Pictorem, sed etiam Castorem ante oculos habuisse iure sibi videtur concludere.

In fine enim capitis quadragesimi sexti Eusebii haec extant:

„A Romulo, qui Romam condidit, hi reges habentur:

I.	Romulus	annis	38
II.	Numa Pompilius	„	41
III.	Tullus Hostilius	„	30
IV.	Ancus Marcus	„	33
V.	Tarquinius	„	37
VI.	Servilius	„	44
VII.	Tarquinius Superbus	„	24

Hi septem reges a Romulo extiterunt, eorumque dominatio sublata est post annos 244. Porro ab Ilio capto ad Romulum anni sunt 441, summa igitur est annorum 675.“

In his autem numeris adhibitis iis indicibus, qui in chronicorum canonum altero libro extant, numeri 30 in 32, 33 in 23, 24 in 25 mutandi sunt, ita ut numerorum horum summa sit 240, praeterea numerum 441 in 431 mutandum esse unus quisque videt (675 = 244 + 431).

Atque hunc Eusebianum locum ita tractavit Mommsenius, quasi hic fragmentum Diodoreum servatum esset. Pag. enim 128 haec dicit: „Diodor bei Eusebius. Hier ist die doppelte Quelle recht deutlich, da die einzelnen Summen der Königsregierungen 240 J. betragen, die Königszeit aber auf 244 Jahre gesetzt wird“; et pag. 139 sic loquitur: „Wesentlich dieselben Zahlen (sc. regum Romanorum) haben ferner Diodor, der sich auch hier als treuen Vertreter des Fabius bekundet“ etc., et in adnotatione 257 locum illum Diodoreum nominat dicens: „Der Schreibfehler im diodorischen Text 33 + 33 statt 32 + 23“ etc.

Quo de loco prorsus aliter sentio.

---

40) de Val. Antiate p. 20.

41) l. l. p. 22.

42) Quellen Plut. in den Biographien der Römer p. 153.

Nam etiamsi statueremus illum Romanorum regum indicem sane Diodoreum esse, nullo modo ea verba quae hunc catalogum sequuntur, ad Diodorum referri possent, quia is, si per 244 annos reges Romae fuisse dixisset, ab Ilio capto usque ad expulsos reges non 675, sed 676 annos numerasset.

(432 + 244, non 431 + 244).

Neque vero illum indicem recte Diodoreum a Mommsenio nominari puto. Mihi enim inter Romanorum regum catalogum et ea verba, quibus singulorum numerorum summa exprimitur, prorsus eadem necessitudo intercedere videtur atque inter Albanorum regum indicem et ea verba, quae hunc subsequuntur. Atque ibi quidem cum numeri 428, quae summa ex singulis Albanorum regum annis exurgit, et 431, quo quantum distet Ilium captum a Roma condita, indicatur, ita explicandi esse videantur, uti Eusebium ipsum Dionysii numeros suae computandi rationi accommodasse statuamus, Eusebium in componendo Romanorum quoque regum indice Dionysii numeros ita mutasse verisimillimum est, ut summa esset 240, non 244 annorum.

Eusebius autem sic computavit. Cum primus primae olympiadis annus sit ab Ilio capto annus 405, primus olympiadis duodeseptuagesimae annus (Ol. 68, 1), qui primus erat liberae reipublicae, est ab Ilio capto annus 670. Itaque ab Ilio capto usque ad liberam rempublicam constitutam anni numerari debent 669. Cum vero Roma urbs anno ab Ilio capto 429 condita sit, reges per 240 annos fuisse Romae statuendum est (429 + 240 = 669).

Itaque prorsus recte fecit Carolus Mueller, quod hunc locum, quem Mommsenius putat Diodoreum esse, Diodori libris non inseruit.

Iam vero ecquid praeterea in iis, quae Diodorus de rebus a Romanis usque ad Pyrrhi aetatem gestis narravit, extet, quod ad Graecum quendam eumque recentiorem scriptorem referendum sit, quaerentibus nobis unus locus est respiciendus, in quo Timaeum vel Hieronymum a Diodoro adhibitum esse mirum in modum statuit Schwegler[43]).

---

43) histor. rom. vol. 3 pag. 69.

Lib. XII cap. 24 et 25 enim ea, quae statim post decemviros expulsos Romae facta sunt, ita describuntur, ut inter Dionysium vel Livium et Diodorum nulla primo quidem obtutu videatur extare necessitudo. Atque ut eas differentias, quae summi momenti sunt, breviter afferam, Diodorus primum ita loquitur, quasi solus exercitus, minime vero plebs quoque tota in Aventinum secesserit, deinde brevissimo temporis spatio totam rem complectitur, denique — id quod Schwegler potissimum pressit — narrat tunc id lege cautum esse, ut alter consulum utique e plebe crearetur, et liceret quoque ambo consulos plebeios esse.

Quae quamquam primo obtutu satis miranda videntur esse, tamen si accuratius rem perpenderimus istos, errores non ad Diodori fontem, sed ad ipsum Diodorum referendos esse inveniemus. Atque imprimis id respiciendum est Diodorum non historiam composuisse, sed solummodo alios scriptores nullo adhibito iudicio excerpsisse ideoque id egisse, ut ea quae in fontibus suis inveniebat angustissimis finibus circumscriberet. Praeterea autem id summi est momenti, quod Diodorus eas res, quas internas nominare solemus, minime curavit minimeque ipse perspexit. Accedit quod omnino res Romanas quasi in praetereundo tangit et facile quid, quod ipsi non magni momenti videbatur esse, omittit. Haec si respicimus, vix puto quemquam inde, quod Diodorus plebis secessionem non commemoravit, conclusurum esse ne eum quidem scriptorem, ex quo Diodorus haec hausit, ipsam plebem emigrasse in montem Aventinum attulisse. Omnino enim ea, quae capite 65 narrantur, intellegi nequeunt, nisi in Diodori fonte plebeiae quoque secessionis mentionem factam esse statuimus. Nam ut unum afferam, quomodo quis decem δημάρχους creatos esse narrare potest, nisi ipsam plebem eos creasse statuit, praesertim cum illi δήμαρχοι, quos Diodorus commemorat, tantam potestatem habuisse dicantur.

Quod autem Diodorus rem ita describit, quasi paucis diebus absoluta sit, id optime cum Diodori in narrando ratione congruit, qui fere nunquam accurate temporum rationes respexit.

Et eadem ratio est tertii illius argumenti a Schweglero propositi, qui dicit ideo quod hoc loco leges Valerio-Horatiae confundantur cum legibus Liciniis, illum locum ad Graecum

aliquem scriptorem referendum esse, cui hae leges parum notae fuerint. At vero Diodori libros legenti id quidem haud semel occurrit, quod Diodorus tales res, quae, quamquam non eodem tempore factae sunt, tamen aliqua ex parte inter se cohaerent, ita narrat, quasi eodem tempore factae sint, id quod in eum locum, de quo agimus, quam maxime quadrat. Omnibus enim illis legibus id erat commune, quod spectabant ad plebem patriciis aequandam.

Quam ob rem Diodorus, cum ipsi discordia civilis legibus tandem Liciniis sedata esse videretur, has diversis temporibus latas leges inter se arctissime coniunxit. Eamque ob causam toti ei loco, quo de plebis cum patribus contentionibus egit, finem imposuit his verbis: Τὴν μὲν οὖν ἐν Ῥώμῃ στάσιν τοιαύτης συλλύσεως τυχεῖν συνέβη.

Hi soli fere mihi videntur esse loci, in quibus quispiam putare possit Diodorum talem excerpsisse scriptorem, qui sat recenti aetate vivens ita res a Romanis gestas descripserit, ut a primaria narrationis forma prorsus recederet.

Reliqua vero, quae Diodorus de rebus a Romanis usque ad Pyrrhi aetatem gestis narrat, ita sunt comparata, ut ad perantiquum rerum scriptorem ea referenda esse appareat, quales in rebus Romanis describendis se adhibuisse ipse Diodorus in libri primi capite quarto dicit his verbis: πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης (sc. τῶν Ῥωμαίων) πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων.

Satis enim constat antiquissimos Romanorum scriptores regum quidem tempora accurate et copiose descripsisse, priora vero liberae reipublicae saecula levissime et brevissime perstrinxisse. Quo autem propius in scribendo ad sua ipsorum tempora accedebant, eo dilucidius et planius, quo quaeque res gesta esset modo, et exponebatur et apparebat.

Et profecto prorsus fere eadem ratio est eorum, quae a Diodoro de rebus Romanorum narrantur. In exponendis enim rebus a regibus gestis Diodorus tanta utitur copiositate, tam accurate et diligenter vel singulas res describit, ut hoc quidem loco a consueta sua excerpendi ratione abhorrere videatur. At postquam Tarquinium expulsum esse narravit, non iam qua

ratione singulae res factae sint, accurate exponit, sed in ipsis rebus simpliciter commemorandis acquiescit. Inde tandem a Roma per Gallos incensa iterum singulas res dilucidius, copiosius, planius describere incipit.

Quantum vero ab hac Diodori ratione ea distat, quam a Livio et Dionysio adhibitam videmus esse; ii enim id agebant, ut legentibus narrationem dilucidam, luminibus florentem, copiosam, omni ex parte rotundam praeberent, ii paucis eis, quae a fide dignis scriptoribus tradita erant, parum contenti non dubitabant neglectis illis ieiunis, aridis, vetustate obsoletis scriptoribus ad Valerium Antiatem aliosque id genus exornatores decurrere, qui, qua erant fingendi facultate, acerrimos quasi colores et orationis lumina iis praebebant.

Cum hoc autem exornandi et omni ex parte dilucide res adumbrandi studio arctissime gravius illorum scriptorum, qui haec potissimum artificia adhibebant, vitium cohaeret atque coniunctum est. Veteres enim illi rerum scriptores, cum ea aetate essent, qua Romanum omnium gentium imperium nondum constitutum erat, vera, etiamsi Romanis ingrata erant, occultare neque volebant neque debebant. Contra recentiores illi scriptores, ut Romanos et invictos et insuperabiles esse demonstrarent, vel inhonesta artificia adhibebant, quibus vera, si Romanis ingrata essent, aut prorsus occultarent aut certe maxime infirmarent et quasi velis obtenderent.

Qua in re quanta sit inter Diodorum et Livium, qui eiusmodi potissimum scriptoribus usus est, differentia paucis exemplis, quae ad hanc rem probandam plurimum posse mihi videntur, demonstrabo. Atque primum quidem ea, quae Diodorus lib. XIV cap. 113 et sequentibus de Gallorum in agrum Romanum incursione narrat, comparanda sunt cum iis, quae Livius lib. V cap. 35 et sequentibus de eadem re affert. Ne vero tempus teram repetendo ea, quae iam pridem satis plane exposita sunt, hac de re disputaturus legentes ad Schweglerum ablego, qui in historiae Romanae volumine tertio inde a pag. 234 summo cum acumine, cur Diodori narratio praeferenda esset Livianae, demonstravit.

Gravissimae autem inter Diodorum et Livium differentiae hae sunt.

Atque Livius, qui factum sit, ut Galli Romam obsiderent, exponens Clusinos dicit Romanorum auxilium implorasse ideoque legatos a senatu ad Gallos missos esse, qui Gallos iuberent Clusio abstinere.

Diodorus vero Clusinos Romam misisse homines, qui auxilium peterent non commemorat, sed a Romanis legatos Gallorum observandorum causa esse missos dicit. Deinde solus Diodorus senatum studuisse Gallorum iram pecunia sedare narrat. Diversissime quoque, qualem se tunc praebuerit senatus, describitur. Nam Livius senatum totam rem ad populum reiecisse narrat, Diodorus autem, quamquam senatus tradendos esse illos iuvenes, qui contra ius gentium fecissent, censuerit, tamen id factum non esse dicit, quia comitia rogante patre illorum iuvenum, qui tunc ipsum tribunus militum consulari potestate fuerit, illud senatus decretum irritum esse voluerint.

Iam vero ipsam pugnam ad Alliam flumen factam describentes in diversas partes discedunt in eo, quod, cum Livius tumultuarium Romanorum exercitum nominet, Diodorus omnem pubem adscitam esse exponit.

Deinde pugna adversa facta Livius Gallos eodem die ad Romam progressos insequenti per apertas portas in urbem intrasse narrat; immo vero quarto post pugnam factam die Gallos in urbem intrasse dicit Diodorus, postquam clausas portas vi effregerint. Diodorum autem rectius Livio tempus notasse et ex re ipsa et ex aliis compluribus veterum scriptorum testimoniis apparet. Polybius enim in alterius libri cap. 18 τρισὶν ἡμέραις ὕστερον τῆς μάχης Gallos urbem intrasse dicit; Plutarchus quoque in Camilli cap. 22 haec habet, τρίτῃ δ᾽ ἀπὸ τῆς μάχης ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Βρέννος, denique Verrius Flaccus in Gellii noct. att. libr. V cap. 17 post diem tertium diei Alliensis Romam a Gallis captam esse commemorat.

Neque vero Livius et Diodorus inter se consentiunt in exitu illius Gallorum expeditionis narrando; nam primum Livius Cominium Plotinum in capitolium ascendisse dicit eo consilio, ut a senatu veniam Camilli exulis exercitui praeficiendi peteret, Diodorus vero Plotinum id egisse narrat, ut Capitolium tenentibus solatium praeberet et auxilia promitteret. Omnino autem Camilli dictatoris Diodorus mentionem non facit neque — id quod gra-

vissimum est — aut cum Romani aurum praeberent Gallis, subito adfuisse Camillum, aut bis superasse Gallos exhibet.

Atque Diodorum hoc loco vera afferre Polybii auctoritate probatur, qui expressis verbis Gallos ultro discessisse et incolumes in patriam rediisse dicit.

Quod vero, cum Galli Etruscorum urbem obsiderent, Camillum aurum illud abstulisse narrat Diodorus, id pro principio habendum est fabularum illarum, qua Romanorum scriptores cladis huius maculam si non omnino exstinguere at, certe minimam reddere studebant.

Neque minor quam hoc loco differentia inter Diodorum et Livium est in iis, quae de bello a Romanis cum Latinis gesto narrantur. Alter enim, Diodorus, lib. XVI cap. 90 nihil exhibet nisi hoc: T. Manlio Torquato et P. Decio consulibus Campanos et Latinos apud Suessam ab altero consulum Manlio pulsos et dimidio agrorum privatos esse. Cum his vero camparentur ea, quae Livius lib. VIII cap. 6 et sequentibus exponit. Ibi enim primum pugna ad Vesuvium facta esse dicitur, in qua Decius Mus sese inferis diis voverit et Manlius minor a patre necatus sit. Praeterea autem ad Trifanum quoque, quod oppidum prope Sinuessam situm est, pugnam a Romanis commissam esse cum Latinis a Livio narratur.

Et haec quidem falsa esse ex iis ipsis rebus cognoscitur, quas in pugna priore factas esse a Livio traditur. Nam cum alio quidem tempore revera P. Decium sese devovisse[44]) constet, apparet hoc loco rem ex confusione quadam narrari. Quod autem Titus Manlius dicitur filium suum necasse, id fictum esse videtur ad explicandum eius cognomen „imperiosi“. At vero hoc Manliorum cognomen iam ante illam pugnam nobis occurrit in fastis.

Deinde ea respicienda sunt, quae de Tuscorum in agrum Romanum incursione M. Fabio et M. Popilio consulibus facta a Diodoro lib. XVI cap. 36 et a Livio lib. VII cap. 17 nar-

---

44) Liv. 10, 27. Ceterum Guilielmus Ihne, qui hoc anno primum historiae romanae volumen edidit, pagg. 302, 303, 304 Livio fidem non derogavit, sed bis illo bello pugnatum esse narravit. At vero Mommsenius histor. rom. I, p. 359 optime hoc de loco disputans demonstravit Livio nullam fidem esse habendam.

rantur. Et Diodorus quidem Etruscos usque ad Tiberim progressos agris vastatis sua sponte rediisse dicit, Livius vero eos a C. Marcio Rutilo dictatore ad unum omnes interfectos esse tradidit.

Deinde ea, quae a Diodoro lib. XIX cap. 76 de Campanorum rebus afferuntur, multo maiorem probabilitatis speciem prae se ferre videntur quam ea, quae a Livio lib. IX cap. 26 narrantur. Haec enim tradit Diodorus: Postquam Poetilio et Sulpicio consulibus Capuani ad Samnites defecere, Caius Maenius dictator est dictus. Qui cum magno cum exercitu ad Capuam accederet, Capuani primum quidem pugnam committere statuerunt, ubi vero Samnitium exercitum ad internecionem esse redditum, audierunt, defectionis auctores Romanis puniendos tradiderunt, qui antequam a iudicibus condemnati sunt, sibi ipsi mortem consciverunt.

Quanto haec narratio probabilior quam Liviana! Livius enim Romanos, cum Capuanos deficere ad Samnites velle audissent, Maenium dictatorem dixisse narrat, qui, quomodo res se haberet, quaereret. Quo cognito principes coniuratorum statim se vita orbasse.

Neque vero ea silentio praetermittenda sunt, quae lib. XIX cap. 72 a Diodoro proferuntur. L. enim Papirio et Q. Publilio consulibus, ait Diodorus, Romani apud Saticulam Apuliae castellum Samnitibus victis illud oppidulum expugnarunt. Quo facto cum Apuliam peragrarent eo consilio ut urbes, quae ad Samnites defecerant, ad officium reducerent, ubi Samnites magnum exercitum comparare ultima tentaturos, Romae auditum est, Q. Fabius dictator est dictus, qui Q. Aulum equitibus praefecit. Qui cum ad Lautulas cum Samnitibus manus conseruissent, acerrimo proelio exorto Romani fugati atque pulsi sunt, Aulus, qui fugere nollet, persequentibus hostibus sese obiiciens honestissimam mortem oppetiit.

Haec toto coelo diversa sunt ab iis, quae in Livii lib. IX cap. 22 inveniuntur. Is enim ab ipso dictatore Saticulam expugnatam esse dicit et ut, quanto in discrimine tunc versata sit Roma, occultet, Samnites omnes nervos intentasse magnumque exercitum comparasse non commemorat.

Deinde ad Lautulas ancipiti proelio pugnatum esse narrat

haec adiiciens: invenio apud quosdam adversam eam pugnam fuisse Romanis atque in ea cecidisse Q. Aulum magistrum equitem.

Ipsa haec verba, quanta sit Diodoro fides habenda, demonstrant atque indicant.

In Q. Auli locum — sic pergit Livius — cum C. Fabius suffectus esset, qui recentes milites Roma dictatori adduxit, Samnites devicti sunt.

At enim cum haec pugna a Diodoro omnino non commemoretur, eam factam non esse mihi quidem probabile est.

Denique ea inter se comparabimus, quae L. Postumio et Tito Minucio consulibus a Diodoro et Livio facta esse traditur. Et Diodorus quidem lib. XX cap. 90 duas cum Samnitibus pugnas commissas esse narrat, in quarum altera viginti unum signa hostibus a demta, in altera ipse dux Samnitium Gellius Gaius captus sit. Livius vero lib. IX cap. 44 et sequentibus tria proelia cum Samnitibus a Romanis commissa esse, quorum primum a Diodoro non commemoratum ad Tifernum factum sit, dicit. Quominus autem hanc pugnam revera factam esse putemus, mihi quidem id obstare videtur, quod Livius ipse dicit scriptores hanc pugnam afferentes in diversas partes discedere, alios enim Samnites victos et viginti millia captos esse narrare, alios aequo Marte pugnatum esse commemorare.

Iam vero cum ex his locis id luculentissime apparere mihi videatur, Diodorum optimum eumque perantiquum scriptorem excerpsisse, quod eius fuerit nomen, quaeramus.

Mommsenius Niebuhrium secutus in eius libri, quo de chronologia Romana egit, paginae potissimum 127 adnotatione 231 ex Fabio Pictore Diodorum omnia ea hausisse dicit, quae de rebus a Romanis usque ad Pyrrhi aetatem gestis exhibet. Cui sententiae adversati sunt Baumgardtus in eo libello, quo de Fabio Pictore egit, Peter in eius libri, qui inscribitur „Studien zur röm. Geschichte", pagina duodetrigesima, denique Nissenius[45]) in ea commentatione, quae inscribitur „Die Römisch-Karthagischen Handelsverträge". At vero nullus horum virorum

45) Iahnii annall. vol. 27 pag. 328.

Fabium Pictorem a Diodoro non excerptum esse certis argumentis probavit neque unquam mihi quidem videtur esse probaturus.

Nam complura in unum locum conveniunt, quibus ut Mommsenio adstipulemur, commoveamur. Atque primum quidem id summi est momenti, quod Diodorus ipse in tertio fragmento Fabium τὸν τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψαντα nominatim affert. Hunc autem locum ad Fabium Pictorem antiquissimum Romanarum rerum scriptorem pertinere optime demonstravit Harlessius in dissertationis eius, qua de Fabiis et Aufidiis egit, paginis tertia et quarta.

Praeterea id quidem parum est verisimile, Diodorum illum Fabianum locum non ex ipsius Fabii annalibus sed ex alio scriptore, qui Fabio usus sit, depromsisse. Nam Castorem, de quo solo hic cogitare quis possit, cum sex libris res ab antiquissimis temporibus usque ad annum a. C. n. 56 ab omnibus populis gestas complecteretur, etiam locos ex aliis scriptoribus petitos attulisse quis est, qui putet?

Accedit quod antea vidimus in iis, quae Diodorus de regum temporibus narrat, extare nonnulla, quae ad recentiorem scriptorem referenda sunt. Qui scriptor cum sit Castor chronographus, apparet eum non vetustissimos fontes, Fabium vel Cincium vel alium huiuscemodi scriptorem adhibuisse ad res Romanas describendas, sed recentiores eosque deteriores, Valerium Antiatem, Licinium, alios saeculi a. u. c. octavi scriptores secutum esse. Itaque dubitari nequit, quin Diodorus, cum illum scriberet locum, ipsos Fabii annales ante oculos habuerit.

Quod si quis concedit — et debent sane omnes concedere — id quoque mecum statuet, non verisimile esse Diodorum hunc unum locum e Fabii annalibus desumsisse. Nam id quidem minime quadrat in eius scribendi rationem, qui, quid reliqui de eadem re tradiderint, parum curans unum plerumque sequi solet ducem; neque omnino ea est excerpentium consuetudo, ut unius rei vel probandae vel refutandae causa scriptores adhibeant, quos praeterea non respiciunt.

Id autem, quod iam per se satis probabile est, nonnullis etiam aliis argumentis confirmabitur.

Atque hoc loco ante omnia commemorandum est, Fabium Pictorem Graece[46]) scripsisse, quod quanti sit momenti, inde apparet, quod nullo Diodori loco Romanus rerum scriptor neque nominatur neque adhibitus esse videtur.

Iam vero in ipsa Diodori narratione ecquid sit, quod ad Fabium Pictorem nos ducat, quaerentibus nobis respiciendum est lib. VIII fragm. 31, quod simillimum esse alteri libri VI capiti Polybii apparebit, si utrumque locum attulerimus.

Polybius:	Diodorus:
παραγενόμενος δὲ (ὁ Λεύκιος) εἰς Ῥώμην καὶ τυχὼν τῆς πολιτείας εὐθέως ἡρμόσατο πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν. ταχὺ δὲ καὶ διὰ τὴν χορηγίαν καὶ διὰ τὴν τῆς φύσεως δεξιότητα καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐκ παίδων ἀγωγὴν ἁρμόσας τῷ προεστῶτι μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχε καὶ πίστεως παρ᾽ αὐτῷ. χρόνου δὲ προιόντος εἰς τοῦτ᾽ ἦλθε παραδοχῆς ὥστε συγχειρίζειν τῷ Μαρκίῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν· ἐν δὲ τούτοις ἐπ᾽ ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος καὶ συνεργῶν καὶ συγκατασκευάζων τοῖς δεομένοις ἀεί τε τῶν χρησίμων ἅμα δὲ καὶ τῇ τοῦ βίου χορηγίᾳ μεγαλοψύχως εἰς τὸ δέον ἑκάστοτε καὶ σὺν καιρῷ χρώμενος, ἐν πολλοῖς μὲν ἀπετίθετο χάριν ἐν πᾶσι δ᾽ εὔνοιαν ἐνειργάσατο καὶ φήμην ἐπὶ καλοκἀγαθίᾳ.	ὅτι Λεύκιος Ταρκύνιος ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς σπουδαίας ἔτυχεν ἀγωγῆς καὶ γενόμενος ζηλωτὴς παιδείας οὐ μετρίως δι᾽ ἀρετὴν ἐθαυμάζετο. Ἀνδρωθεὶς γὰρ συνεστάθη τῷ βασιλεῖ Ἄγκῳ Μαρκίῳ καὶ φίλος αὐτοῦ μέγιστος ἐγένετο καὶ πολλὰ τῶν κατὰ τὴν βασιλείαν συνδιῴκει τῷ βασιλεῖ. καὶ μεγαλόπλουτος ὢν πολλοῖς τῶν ἀπόρων ἐβοήθει χρήματα διδοὺς καὶ πᾶσι προσφιλῶς ὁμιλῶν ἄμεμπτος ἦν καὶ ἔνδοξος ἐπὶ τῇ σοφίᾳ.

Inter hos autem locos cum magnam non solum sententiarum, verum etiam verborum similitudinem extare appareat, Diodorum haec aut ex ipso Polybio aut ex eodem scriptore, quo is usus est, desumsisse statuemus. Polybium vero ipsum Diodorus,

46) Kiessling. l. l. pag. 7.

quamquam sane postea demonstrabimus alio loco Polybium a Diodoro adhibitum esse, ideo hoc loco ante oculos habuisse mihi non videtur, quod totus is locus, ubi haec apud Polybium inveniuntur, non tam ad historiam quam ad politicen pertinet. Quam ob rem cum Diodorum eundem fontem adhibuisse atque Polybium necesse sit statuamus, ille Diodoreus locus ad Fabium Pictorem est referendus, quem a Polybio in describendis Romanorum rebus prae ceteris respectum esse constat.

Alio quoque loco Diodorum Fabii Pictoris annales excerpsisse satis certe demonstrari potest. Diodorus enim primo lib. X fragmento et Dionysius lib. IV cap. 28 et Livius lib. I cap. 48 Servii Tullii regis exitum prorsus eadem describunt ratione. Nam omnes, ut id afferam, Tarquinium faciunt nominantem Servium servum, ita quidem ut Dionysius et Diodorus usurpent vocem δουλέκδουλος, Livius autem, cui latina lingua verbum eiusmodi compositum non suppeditabat, adhibeat simplicem vocem servi. Deinde Diodorus et Dionysius Servium κατὰ κρηπῖδος occidisse dicunt, id quod Livius exprimit verbis „per gradus."

Atque Dionysium quidem Fabii annales hoc loco ante oculos habuisse inde concludendum puto esse, quod in iis, quae proxime antecedunt, Dionysius Fabium vituperat, qui Tarquinios Tarquinii Prisci filios fuisse dixerit. Qui error cum apud Livium quoque inveniatur, eum quoque Fabium Pictorem adhibuisse probabile est.

Quod autem Pluessius in musei Helvetici volumine VI inde a pagina 43 Cincium minorem a Livio in prioribus libris excerptum esse demonstrasse sibi visus est, id parum refert ad nostram quaestionem, quia haud scio an nemini Pluessius id sit probaturus.

Ut autem hoc loco ita omnino Diodorus in iis, quae de regibus Romanorum dicit, consentit cum Livio, id quod uno etiam exemplo demonstrabo. Omnes enim et Diodorus lib. VIII fragmento 22 et Dionysius lib. III cap. 22 et Livius lib. I cap. 22 Tullum Hostilium, ne bellum ipse conflasse videretur, in Albanos artificio usum esse narrantes in eo differunt, quod Dionysius Cluilium Albanum bellum Romanis primum indixisse dicit, Livius autem et Diodorus Romanorum legatos Albanis

in diem trigesimum bellum indixisse referunt, quod rectum esse ex totius illius loci connexu apparet.

At vero inde a libera republica constituta inter Diodorum et Livium, quem ab hoc temporis momento Fabio et Cincio copiosiores fontes adiisse constat, non solum nullae fere extant similitudines verum etiam maximae differentiae, quarum multitudo eo magis augetur, quo longius procedit Livius in narrandis Romanorum rebus. Qua in re imprimis id est respiciendum, Diodorum permulta afferre, quae apud Livium non inveniuntur, id quod ita explicandum est, ut statuamus, Diodorum quidem talem scriptorem ante oculos habuisse, qui annales maximos sequens accuratissime singulas res ad suos annos revocarit, Livium autem eiusmodi fontes excerpsisse, in quibus ea omissa fuerint, quae ornandi et fingendi copiam non praeberent.

Horum autem Diodori locorum cum forma et oratio tantam exhibeant simplicitatem, ut ipsos pontificum annales legere nobis videamur, facillime haec ad Fabium referuntur, qui cum antiquissimus rerum scriptor esset, annales maximos, unicum tunc historiae fontem quasi Graece vertisse eum verisimile est[47]).

Atque ut pauca huius rei exempla afferam lib. XIII cap. 102 a Diodoro haec narrantur. Lucio Lucretio et Servio Cossone (sic) consulibus illato Aequis bello a Romanis Liphlon expugnatum est. Velitri vero et Satricum defecerunt, denique eo anno Circeios colonia est deducta. Quae omnia in Livii lib. V cap. 31, ubi commemorari debebant, non extant.

Capite deinde centesimo nono pugna ad Gurasion cum Volsiniis commissa affertur, quam apud Livium frustra quaesiveris. Res quoque ab Appio censore factae multo accuratius a Diodoro lib. XX cap. 36 describuntur, quam a Livio lib. IX cap. 29.

Nam Diodorus solus, quot stadia percurrerit aqua, antequam Romam venerit, dicit et qua ratione via Appia strata sit, describit. Neque vero Livius Appium pecuniam ad haec opera

---

47) Kiessling. l. l. p. 8. Summi momenti sunt Dionysii verba, qui in primi l. cap. 6 dicit Φάβιον καὶ Κίγκιον — τὰ ἀρχαῖα κεφαλαιωδῶς ἐπιδραμεῖν.

conficienda necessariam iniussu senatus ex aerario desumsisse commemorat.

Deinde Appium singulis civibus, quo loco censeri se vellent, eligere permisisse, denique nemini equitum equum ademisse neque quemquam senatu movisse, ut amicos sibi conciliaret, solus narrat Diodorus.

In lib. XX cap. 44 quoque plura extant, quae Livius silentio praetermisit. Nam is neque Romanos per Umbrorum agros profectos neque Caprium castellum Etruscorum captum esse lib. IX cap. 41 affert.

Denique Diodorus lib. XX cap. 80 haec narrat:

Q. Marcio ot P. Cornelio consulibus Romani in Iapygiam progressi Silvion expugnarunt. Dum vero haec geruntur, Samnites agrum Romanum miserrime pervastant. Denique Phrousinon hoc anno expugnatum est, cuius agri civibus distributi sunt. Haec autem omnia a Livio lib. IX cap. 43 non commemorantur. Haec vero a Diodoro ex Fabii Pictoris annalibus desumta esse ut dilucidius etiam appareat, ea, quae Mommsenius[48]) de fastis Diodoreis disseruit, afferam.

Diodorus, cum lib. XI cap. 1, Spurii Cassii et Procli Verginii consulatus vel vicesimus quartus liberae reipublicae annus dicatur esse primus olympiadis septuagesimae quintae annus, rempublicam liberam primo olympiadis undeseptuagesimae anno (Ol. 69, 1) statuerit necesse est factam esse. Qui numerus explicari nequit nisi ita, ut dicamus Diodorum proprie quidem secundum Fabii computandi rationem voluisse scribere Romam primo olympiadis duodeseptuagesimae tyrannide liberatam esse, sed ex alio fonte reges per 244 annos Romae fuisse desumsisse et ita ad annum primum olympiadis undeseptuagesimae pervenisse.

Deinde Diodori fasti variis erroribus ita sunt disturbati, ut olympiade nonagesima prima Diodorus sex annis consuetam computandi rationem praecurreret. Atqui apud Fabium indicatum invenit, ad Alliam olympiade duodecentesima archonte Pyrgione pugnatum esse.

Quam ob rem inter olympiadem nonagesimam primam et undecentesimam cum deberet sex consulum paria omittere,

---

48) chronol. rom. pag. 125 seqq.

quinque eiecit, ita ut pugnam ad Alliam factam esse statueret altero olympiadis duodecentesimae anno archonte Theodoto.

Ne vero quis putaret casu illa quinque consulum paria excidisse, ipse Diodorus post alterum olympiadis duodecentesimae annum iterum quinque paria ex iis, quae antecedunt, consarcinata inseruit.

III.

Unde Diodorus Pyrrhi regis historiam hauserit.

Iam vero ad librum vicesimum alterum transeamus tractandum, in quo res potissimum a Pyrrho rege gestae describuntur. Quo loco quibus fontibus usus sit Diodorus, quaerentes ea, quae antea hac de re a viris doctis dicta sunt, prorsus fere neglegamus necesse est. Omnes[49]) enim, quibus Diodori commemorandi occasio obtigerat, id quidem pro certo habuerunt, Diodorum in rebus a Pyrrho gestis narrandis unum Hieronymum secutum esse ducem. Atque Henricus quidem Peter[50]), qui recentissime hac de re egit, ubicumque inter Diodorum et Plutarchum extare videtur similitudo, Plutarchum Hieronymi libros ante oculos habuisse inde concludit, quod Diodorus hunc scriptorem excerpserit.

Horum autem locorum, in quibus inter Diodorum et Plutarchum necessitudo quaedam intercedere videtur, in numero unum certe nullo prorsus iure habere virum illum doctum puto.

Is enim pag. 74 sic ratiocinatur: Plutarchus[51]) et Valerius Maximus[52]) eam rationem, qua Antigonus in Pyrrhum mortuum sese gesserit, prorsus fere eodem modo describunt. Atqui Kempfius[53]) multa (sic!) a Valerio Maximo ex Diodori libris desumta esse demonstravit, unde colligere nobis licet hoc quoque loco Valerium Maximum ante oculos habuisse Diodori narrationem.

---

49) Brueckner de usu, qui Hieronym. histor. fuerit apud posterioris aevi scriptores, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1842 p. 253 seq. Haug, Quellen Plutarch s. p. 73.

50) Peter, Quellen Plut. für die Biographien der Römer p. 74.

51) Plut. Pyrrh. cap. 34.

52) Val. Max. V, 1.

53) in Valerii Maximi editionis pag. 22 praef.

Hanc autem argumentationem vitiotissimam esse luculenter apparet. Nam Henricus Peter, cum Diodorum et Plutarchum idem tradidisse demonstrare studeat, ex ipsa ea re, quod inter Valerium et Plutarchum similitudo extare videtur, concludit Valerii verba esse ad Diodorum referenda; quae conclusio recta esset, si Valerium Maximum plerumque ad Diodorum se applicasse demonstrasset. At vero Kempfii illa sententia duobus locis nititur, qui mihi quidem non ita videntur esse comparati, ut inde Diodorum omnino a Valerio respectum esse iure colligamus.

Prior enim locus, quem attulit Kempfius extat in quinta paragrapho lib. III cap. 2 Valerii Maximi, ubi Epaminondae mors ita describitur, ut cum iis Diodori verbis, quae tib. XV cap. 87 extant, Valeriana minime comparari possint. Omnia enim haec verba apud Diodorum non reperiuntur: „non finis, inquit, commilitones vitae meae sod melius et auctius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur quia sic moritur. Thebas ductu et auspiciis meis caput Graeciae factas video; et fortis et animosa civitas Spartana iacet armis nostris abiecta; amara dominatione Graecia liberata est. Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram et Mantineam relinquo."

Ultimum vero enunciatum (orbus quoque etc.) non ex eodem fonte petitum atque reliqua verba, sed ad Diodorum referendum esse censet Kempfius; nam diversos fontes hoc loco a Valerio Maximo adhibitos esse inde apparere dicit, quod enunciatum illud ultimum adiectum sit non servato sententiarum connexu, quem Diodorus sane respexerit ultimis Epaminondae verbis haec praeponens: ἀναβοησάντων δὲ τῶν φίλων καὶ εἰπόντος τινὸς ὅτι τελευτᾷς ἄτεκνος, Ἐπαμεινώνδα, μὰ Δία μέν, φησίν, ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας τήν δ' ἐν Λεύκτροις νίκην καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ.

Haec vero Diodori verba ante oculos habuisse Valerium Maximum quominus putemus, primum id obstare videtur, quod parum verisimile est, Valerium longiori narrationi finem alio ex fonte petitum adiecisse.

Deinde in eo Kempfius erravit, quod ultimum enunciatum cum iis, quae antecedunt, cohaerere negavit. Particula enim „quoque", qua potissimum Kempfius offenditur, non ad verbum

„orbus“, sed ad totum enunciatum referenda est, ita ut optima haec evadat sententia: Lubenter, inquit Epaminondas, morior, quia Thebae mea opera liberatae sunt. Id quoque valet ad mortis dolores leniendos, quod, quamquam sine progenie morior, tamen duos liberos relinquo.

Denique ne respondent quidem Valerii verba Diodoreis, cum apud Diodorum Epaminondas amico, quod ille ἄτεκνος moriatur, querenti minime se sine liberis mori dicat, apud Valerium vero Epaminondas sane se orbum mori concedat. Apparet igitur ex hoc quidem loco concludi non posse, Diodorum a Valerio Maximo excerptum esse.

Neque plus ad hoc probandum valet alter locus, quo nititur Kempfius. In lib. IX enim cap. 12 paragraphis nona et decima Milonem et Polydamantem athletas clarissimos miserrime periisse narratur, cui narrationi a Valerio Maximo haec adiiciuntur verba: „Possunt hi praebere documentum nimio robore corporum vigorem mentis hebescere quasi abnuente natura utriusque boni largitionem, ne supra mortalem sit felicitatem eundem esse et validissimum et sapientissimum“.

Hanc autem sententiam Kempfius tantum abest, ut Valerium Maximum suo ingenii acumine excogitasse putet, ut vel hanc ex Diodoro desumtam esse censeat. Qui quamquam in lib. IX fragmento 14 Milonem et Polydamantem commemoravit, tamen eorum exemplo non docuit corporum vigore mentis acumen hebescere, sed id, in magno periculo versari eum, in quo magna virium copia, parva ingenii vis esset; quas sententias diversissimas esse quis, est quin videat? Quae cum ita sint, vix cuiquam persuasurum esse Kempfium puto, Valerium Maximum Diodori libros adhibuisse ad componendum suum opus.

Ut igitur ad eum locum regrediamur, unde devenimus, Henricus Peter statuit omnes eos locos, in quibus Diodorus et Plutarchus inter se consentiunt, ad Hieronymum esse referendos; quod falsum esse uno loco nobis demonstrandi evenit opportunitas.

Diodorus[54]) enim et Plutarchus[55]) eos Gallos, quibus Pyrrhus Aegas custodiendas permiserit, Macedoniae regum sepulcra

54) l. 22 fragm. 12. (excerpt. d. virt. et vit. p. 563.)
55) Plut. Pyrrh. c. 26.

aperuisse et corpora dissipasse, opes autem inter se partitos esse narrant. Haec autem non ex Hieronymo desumta esse, — id quod statuit Peter — inde iure mihi videor colligere, quod Pausanias, quem in rebus a Pyrrho eiusque aequalibus gestis narrandis Hieronymum secutum esse constat, similem rem non a Pyrrho, sed a Lysimacho factam esse tradidit, qua re minime offensus Henricus Peter ad paginam 73 haec adnotavit: „Es beruht wahrscheinlich nur auf einer Namensverwechselung, wenn Pausanias I, 9, 10 der hier den Hieronymus namentlich anführt, Dasselbe vom Lysimachus im Krieg gegen Antigonus geschehen sein lässt".

Et profecto ita differentia haec inter Diodorum vel Plutarchum et Pausaniam explicari posset, si Pausanias isto loco omnino de iniuria ageret Antigono illata. Nam ita si res sese haberet, facile a Pausania Lysimachum cum Pyrrho confusum esse statueremus. Nunc vero Pausanias Lysimachum Pyrrho, non Antigono bellum intulisse et Epirotarum, non Macedoniae regum sepulcra diripuisse narrat, ita ut mihi quidem nomina hoc loco a Pausania confusa esse parum verisimile videatur esse; id quod eo minus statui potest, quia ipse Pausanias et haec ab Hieronymo Lysimachi obiurgandi causa ficta esse dicit et causam affert, cur Hieronymus Lysimacho infestus fuerit.

Quodsi Hieronymum revera narrasse Lysimachum Epirotarum regum sepulcra diripuisse statuimus, num eum simile quid de Pyrrho tradidisse statuemus? Hoc ego vix probaverim, et quia Hieronymus, si eandem fere rem a duobus hominibus factam esse narrasset, in mendacii suspicionem incurrisset, et quia Pausanias eo loco, quo de rebus a Pyrrho gestis agit, illam rem non commemorat, quam si apud Hieronymum invenisset, certe attulisset. Itaque neque Diodorum neque Plutarchum cum illud Gallorum scelus narrarent, Hieronymum ante oculos habuisse verisimile est; quem vero hac in re illi secuti sint scriptorem, hac de quaestione postea agemus, nunc quae in reliquis locis inter Diodorum et Plutarchum intercedat necessitudo, videamus.

Atque imprimis ea Diodori fragmenta sunt respicienda, quibus, quid in Sicilia gesserit Pyrrhus, narratur. Haec autem Brueckner et Haugius cum Plutarchi capitibus 22, 23, 24 comparantes inde, quod inter Diodorum et Plutarchum nulla certe differentia extaret, eundem fontem, Hieronymum, ab

utroque adhibitum esse concluserunt. Henricus Peter vero eodem iure dicit Plutarchi illa capita ad Dionysium referri, praesertim cum hi scriptores prorsus consentiant in describendo Thoenonis et Sosistrati exitu, differant vero aliqua ex parte a Diodoro. Quod quo modo dicere potuerit Peter, ego non video. Diodorus enim, qui fuerit illorum exitus, omnino non affert, ita ut eius narratio cum Plutarchea comparari nequeat. Neque vero reliqua, quae Plutarchus de rebus a Pyrrho in Sicilia gestis narrat, ad Dionysium referri posse, quicunque utriusque narrationem accurate perlegerit, intelleget. Plutarchus enim id potissimum aegre tulisse Siculos dicit, quod Pyrrhus classem exornans, qua in Libyam traiiceret, a Siculis petierit, ut ipsi in naves conscenderent; Dionysius vero neque classem exornasse narrat Pyrrhum nequein Libyam traiicere voluisse commemorat. Quam ob rem cum Plutarchum illa capita non ex Dionysio hausisse appareat, iterum ad Diodorum recurremus, et quae inter ipsum et Plutarchum intercedat necessitudo, quaeremus. Quo in loco ante omnia respiciatur velim summa levitas atque neglegentia, qua Plutarchus res a Pyrrho in Sicilia gestas descripsit. Nam primum quidem Syracusas, cum Pyrrhus in Siciliam veniret, a Carthaginiensibus terra marique oppugnatas esse et omnium rerum inopia Syracusanos commotos esse, ut Pyrrhum arcesserent, non commemorat. Deinde quamquam εὐτυχίᾳ τε καὶ ῥώμῃ τῶν παρόντων Pyrrhum dicit fuisse ἐπαιρόμενον, ipse, quanta gesserit in Sicilia Epirotarum rex, minime indicat neque totam Siciliam praeter Lilybaeum Carthaginienses amisisse narrat. Neque vero Pyrrhum Lilybaeum oppugnantem repulsum esse eamque fuisse causam, cur naves inciperet exornare, nimirum ut bello in Africam translato Lilybaeo cedere Carthaginienses cogeret, Plutarchus affert. Hac autem in brevitate atque neglegentia mirari non debemus si paucis locis, quaenam verba ante oculos habuerit Plutarchus, cognosci potest. Nihilo tamen secius accuratissime Diodorum et Plutarchum inter se comparantes nonnulla inveniemus, ex quibus eodem fonte eos usos esse nobis liceat concludere.

Atque primum quidem ea, quae in Diodorei fragmenti X paragraphis altera et tertia (excerpt. Hoeschel. p. 497—499) extant, comparentur cum quinta Plutarchei capitis vicesimi alterius paragrapho.

Plutarchus:	Diodorus:
τριςμυρίοις πεζοῖς καὶ διςχιλίοις πεντακοςίοις ἱππεῦςι καὶ διακοςίαις ναυςὶν ἐπιὼν τούς τε Φοίνικας ἐξῄρει καὶ κατεςτρέφετο τὴν ἐπικράτειαν αὐτῶν.	ἐςτράτευςεν ἐπὶ τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπικράτειαν ἔχων πεζοὺς τριςμυρίους, ἱππεῖς δὲ πεντακοςίους χιλίους.

Hoc autem loco Diodorum 1500, Plutarchum 2500 equites exhibere nihil refert, quia, quanta sit Diodori in numeris indicandis levitas, inter omnes constat.

Naves vero Pyrrhi fuisse ducentas a Diodoro quoque in fragmento VIII (exc. Hoesch. p. 495) his verbis indicatur: ὁ δὲ cύμπας cτόλος πλείους διακοςίων.

Deinde haec inter se comparentur verba:

Plutarchus:	Diodorus:
τοῦ δ' Ἔρυκος ὀχυρωτάτου τῶν χωρίων ὄντος καὶ πολλοὺς ἀμυνομένους ἔχοντος ἔγνω βιάζεςθαι πρὸς τὰ τείχη.	Ἐρυκίνης δ' ἐχούςης φρουρὰν ἀξιολόγον Καρχηδονίων καὶ φύςιν ἐχούςης ὀχυρὰν ἔκρινεν ὁ Πύρρος βίᾳ ταύτην ἐξελεῖν διὰ πολιορκίας.

Praeterea in eodem loco uterque Herculem Pyrrho Erycem oppugnanti exemplo virtutis fuisse commemorat. Denique ab utroque Pyrrhus simili ratione Carthaginiensibus pacem petentibus respondisse dicitur, pacem se esse facturum cum Carthaginiensibus, si mare pro regni sui finibus haberent. Nam Plutarchus his verbis utitur: εἶναι φιλίαν, εἰ χρῷντο ὅρῳ τῇ Λιβυκῇ θαλάςςῃ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, quam sententiam sic exprimit Diodorus: διορίςαι τῷ πελάγει τὴν ἐπαρχίαν.

Ex his igitur locis id apparere videtur, Plutarchum et Diodorum in iis rebus, quas Pyrrhus in Sicilia gessit, narrandis eodem fonte usos esse.

Iam vero, quis is fuerit scriptor, quem Diodorus et Plutarchus excerpserint, quaerentibus nobis id respiciendum est, quod supra demonstravimus, Diodorum et Plutarchum in iis locis ubi Gallorum in Macedoniae reges mortuos immanitas et crudelitas describitur, Hieronymum ante oculos non habuisse, qua ex re facile quispiam concludat, Diodorum in describenda Pyrrhi vita omnino Hieronymum neglexisse et Plutarchum quoque, ubicunque cum Diodoro consentiat, alium scriptorem secutum esse atque Hieronymum. Atque per mihi mirum videtur esse

nullum eorum virorum, qui de his Diodori fragmentis egerunt, de Timaeo ne cogitasse quidem, quem peculiari libro Pyrrhi vitam descripsisse satis notum est. Ad Timaeum vero haec Diodori fragmenta referenda esse uti putemus, sat multis causis commovemur. Ea enim, ut hoc argumentum primum afferam, fuisse videtur Diodori in excerpendo consuetudo ut, si posset, peculiares libros adhiberet, cuius consuetudinis clarissima exempla sunt Philini primi belli Punici historia et Sileni libri de bello Punico altero, quos Diodorus quamquam in iis, quae antecedunt bellum Punicum alterum, narrandis Polybium secutus est, solos fereead componendam belli Punici alterius historiam adhibuit. Deinde autem id quoque verum est, Diodorum omnibus fere aliis scriptoribus antetulisse populares suos, praesertim cum de rebus Siculis agebat. Testis est Philistus Syracusanus, testis est ipse Timaeus, testis est Philinus Agrigentinus.

Haec sunt argumenta extrinsecus petita nec leviora sunt ea, quae ex ipso eo Diodori loco, de quo agimus, desumuntur.

Atque praeterea quoque in libro XXII componendo Diodorum Timaei libris usum esse optime demonstravit Curtius Wachsmuth. Is enim in Sybelii diarii historici volumine X omnia ea, quae a Pausania, Iustino, Diodoro de Gallorum ad Delphos interitu narrantur, e Timaeo desumta esse ostendit. Deinde autem ea quoque Diodori fragmenta, quibus, qui tunc in Sicilia tyranni fuerint, narratur ad Timaeum puto esse referenda, et quia in Agathoclis vita et rebus gestis, quae eo libro, qui antecedit, describuntur, narrandis Diodorus Timaeum secutus est, et quia Timaeus fortasse solus hanc aetatem tractavit, et quia fragmentum VII (exc. Hoeschel. p. 495) in nullius scriptoris genus narrandi magis quadrat quam in Timaei. Ibi enim Phintiae Agrigenti tyranni somnium commemoratur, quod γραοσυλλεκτρίᾳ illa non indignum videtur esse.

Cum his autem fragmentis, in quibus Siciliae tyranni nominantur, cum arctissime ea cohaerere videantur, quibus res a Pyrrho in Sicilia gestae describuntur, haec quoque ex Timaeo desumta esse putabimus.

Quam sententiam ut amplectamur, denique eo potissimum commovemur, quod ipsa illa fragmenta ita sunt comparata, ut ad nullum nisi Siculum scriptorem referri possint. Tanta enim

cum diligentia Diodorus singulas urbes, quas Pyrrhus expugnavit vel ad suas partes adduxit, enumerat, tanta cura, quot milites singulae urbes emiserint, exponit, ut appareat, eum talem scriptorem ante oculos habuisse, qui accuratissime de rebus a Pyrrho in Sicilia gestis egerit. Id autem ad quemnam scriptorem pertinet nisi ad Timaeum? quem in peculiari suo de Pyrrho libro eam potissimum vitae Epirotae illius partem descripsisse consentaneum est, quam in Sicilia degerit.

Quae cum ita sint, Diodorum in narranda Pyrrhi vita Timaei libro usum esse satis est probabile.

IV.

De fragmentis librorum XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII agitur.

Librorum XXIII et XXIV fragmenta, quibus bellum Punicum I describitur, eo magis sunt respicienda, quia et paucissima praeterea de bello illo tradita sunt et omnes reliqui scriptores, qui hac de re egerunt, Romanorum partes amplexi sunt, ita ut horum clades obtegerent, Carthaginiensium victorias obscurarent. Atque Livii quidem libri, quibus hoc de bello egit, quidnam continuerint, ex eorum operibus cognosci potest, qui Livium excerpserunt, Orosium dico et Eutropium, qui scriptores sane non multo plura afferunt, quam quae in deperditorum Livii librorum periochis extant.

Quam ob rem bellum Punicum primum diligenter qui describere volunt, ii Polybium et Zonaram sequi solent, quorum alter, Zonaras, ad definiendum, quo fonte Diodorus in libro XXIII usus sit, parum valet, quia ipse is scriptor, quem Zonaras excerpsit, Cassius Dio, Diodorum potissimum et Livium secutus esse videtur. Polybius vero, cum primi belli Punici historiam quasi prooemii loco exhiberet, sat angustis finibus ea, quae narrare volebat, circumscribere debebat et sane circumscripsit. Quodsi Diodori liber XXIII integer ad nos pervenisset, Polybii narratio non solum optime suppleri sed etiam corrigi posset. Nam Polybius, quamquam ipse Fabium Pictorem non aeque de Carthaginiensibus et Romanis iudicasse vituperans dicit, tamen in simile vitium incurrit, id quod luculentissime, si Polybium cum Diodoro comparamus, apparet. Is enim ita bellum Punicum describit, ut eum scriptorem quendam ante oculos habuisse videamus, qui a Carthaginiensium parte steterit.

Nam Diodorum hoc loco e Polybio, quem postea diligen-

tissime secutus est, nihil desumsisse neque ullam omnino inter Diodorum et Polybium intercedere necessitudinem primo obtutu unusquisque videt. Qua in re id imprimis est respiciendum, Diodorum permulta afferre, quae apud Polybium frustra quaerimus.

Atque primum quidem Diodorus solus in fragmento III (excerpt. Hoeschel. p. 501—503) narrat Appium Claudium consulem, cum Egestam obsideret, multis militibus perditis, ut Messanam se reciperet, coactum esse. Neque vero a Polybio ea commemorantur, quae Diodorus in fragmento IV affert, Hadranitorum urbem a Romanis vi expugnatam, Centoripinorum autem urbem obsessam esse.

Deinde in fragmento V Egestanos Halicaeosque ad Romanos defecisse, Ilarum, Tyrittum, Ascelum capta, Tyndarios quominus ad Romanos transirent, a Carthaginiensibus prohibitos esse, narratur, quae omnia in Polybii προκατασκευῇ non extant.

In IX quoque fragmento plura afferuntur, quorum Polybius mentionem non fecit. Gravissimum autem id esse videtur, quod Diodorus ibi solus dicit Romanos, cum Mytistratum per septem menses oppugnassent et magnam militum iacturam fecissent, re infecta discessisse.

Deinde in fragmenti XVIII (excerpt. Hoesch. p. 505—506) paragrapho altera narratur Carthalonem Agrigentum expugnasse et incendisse, id quod Polybius silentio praetermisit. Ibidem Romanos frustra Drepanum oppugnasse Diodorus solus dicit. Neque vero Polybius, quaenam urbes Panormo urbe capta ad Romanos defecerint, commemorat, Diodorus autem in illo ipso fragmento singulas urbes diligentissime enumerat.

Ea quoque inter Diodorum et Polybium differentia satis gravis extat, quod ex uno Diodoro cognoscimus Erctam a quadraginta millibus peditum Romanorum et mille equitibus frustra oppugnatam esse.

Denique ea, quae, cum Romani Lilybaeum obsiderent, facta sunt, describens Polybius Romanos summopere pestilentia et fame vexatos ab urbe recessuros fuisse, nisi Hiero desperantium animos erexisset et excitasset, non commemorat.

His e locis cum inter Diodorum et Polybium nullam inter-

cedere necessitudinem satis appareat, id velim respiciatur, plerasque earum rerum, quas supra a Polybio non commemorari diximus, eius modi esse, ut eas silentio praetermittere debeat, quicunque Romanorum gloriam praedicare velit. Luculentissime vero Diodorum Carthaginiensium, Polybium Romanorum partes amplecti inde apparet, quod pugnam illam navalem ad Phintiam urbem factam diversissime describunt.

Diodorus enim in lib. XXIV fragmento 1 (excerpt. Hoesch. p. 506—508) sexaginta septem Romanorum naves depressas, tredecim confractas esse dicit, Polybius vero lib. I cap. 53 Carthaginiensium laudes prorsus obscurat pugnam illam his verbis commemorans: ὀλίγα τῶν τὰς ἀγορὰς ἐχόντων πλοίων ἀποσπάσαντες ἀπέπλευσαν.

Neque minus aperte Diodorus Carthaginiensium studium prae se fert in commemoranda ea clade, quam Claudius Pulcher ad Drepanum accepit. His enim in fragmento 1 lib. XXIV utitur verbis: ναυμαχίαν δὲ καρτερὰν καὶ νίκην λαμπροτέραν οὐχὶ Καρχηδονίοις ἀλλ᾿ οὐδ᾿ ἄλλοις τοιαύτην γεγενημένην ῥᾳδίως περὶ τούτους τοὺς χρόνους καὶ τὸ παράδοξον ἐν τηλικούτῳ κινδύνῳ ὄντας Καρχηδονίους καὶ μετὰ νεῶν δέκα οὐ μόνον ἀνῃρέθη μὲν οὐδεὶς, ἐτραυματίσθησαν δ᾿ ὀλίγοι. Quae verba quamquam corrupta sunt, tamen ex iis cognoscitur Diodorum eiusmodi scriptorem excerpsisse, qui res a Carthaginiensibus magno cum studio atque amore descripserit, id quod clarius etiam apparebit, si ea quae Polybius hac de re tradidit, legerimus. Is enim lib. I cap. 51. 123, non, ut Diodorus dicit, 210 Romanorum naves duce Claudio Pulchro pugnam ad Drepanum commisisse narrat neque perpaucas fuisse Carthaginiensium naves commemorat, cum Diodorus decem fuisse exhibeat.

Quis autem est ille Carthaginiensium studiosissimus scriptor, quo Diodorus in describendo bello Punico primo usus est?

Huic quaestioni et facillime et certissime respondebimus, si ea respexerimus, quae Polybius lib. I cap. 15 de Philino Agrigentino et Fabio Pictore dicit. Eos enim ibi exponit, qui diligenter et copiose de bello Punico primo egerint, cum ira et studio scripsisse; Fabium patriae amore deceptum non omnia ita narrasse, uti facta sint, et Philinum quoque nimio Carthaginiensium studio inductum haud semel

a veritate defecisse. Dolendum autem est, quod ii Philini loci, quibus Polybius id, quod de eo dixit, probare studuit, in Diodori fragmentis non respiciuntur, ita ut non e singulis his locis, sed ex tota ea ratione, qua Diodorus bellum Punicum descripsit, Philinum ab eo excerptum esse concludere et possimus et debeamus.

Accedunt vero alia quoque argumenta ad hanc sententiam probandam idonea. Nam hoc loco omnia nobis licet repetere ea, quae in superiore dissertationis parte de Timaeo dicta sunt. Atque ante omnia hoc loco id recordari debemus, res Siculas Diodorum plerumque e Siculis scriptoribus desumere; deinde omnia, quae tunc in Sicilia facta sunt, diligentissime afferuntur, singulae urbes, quae aut a Romanis aut a Carthaginiensibus oppugnatae et expugnatae sunt, commemorantur, omnia denique, quae a Diodoro de illo bello in Sicilia potissimum gesto narrantur, ita sunt comparata, ut ad Siculum scriptorem utique videantur esse referenda. Summi autem momenti id quoque est, quod Diodorus ipse bis ad Philini auctoritatem provocat.

Quae cum ita sint, vix dubium est, quin Diodorus in describendo bello Punico primo Philinum Agrigentinum secutus sit.

Iam vero num sola haec Diodori fragmenta, quae ad bellum Punicum primum pertinent, ad Philinum sint referenda, quaerentes complura praeterea alia fragmenta e Philino desumta esse inveniemus. Cum enim e lib. XXIII fragmento 22 (excerpt. d. virt. et vit. pag. 565) et e lib. XXIV fragmentis 4 et 5 et Philinum Hamilcarem Barcam summopere admiratum esse et eius mores resque gestas summis laudibus extulise appareat, lib. XXV quoque fragmenta 8, 9, 10, 11, 12 (excerpt. d. virt. et vit. p. 567, exc. vatic. p. 56, exc. Hoeschel. p. 510 et 511, exc. vatic. p. 56, exc. Hoesch. p. 511, 512.) ad eum pertinere verisimile est, quippe quibus omnibus Hamilcaris laudes contineantur. Luculentissime autem haec singula fragmenta arctissime cohaerere inter se et ex eodem fonte desumta esse ex iis verbis cognoscitur, quae Diodorus lib. XXV fragmento 10, quo Hamilcaris exitus describitur, adiecit:

Ἀμίλκας μὲν οὖν καίπερ πολλοῖς ἔτεσι πρότερον τῆς ἡμετέρας ἡλικίας τετελευτηκὼς ἐχέτω παρὰ τῆς ἱστορίας ὥσπερ ἐπιτάφιον τὸν ἴδιον ἔπαινον.

Nam quamquam haec verba non ex fonte sue desumsisse Diodorum, sed ipsum, quo erat ingenii acumine, excogitasse facile concedo, tamen id optimo iure mihi videor dicere, Diodorum illam sententiam non fuisse allaturum, nisi eum scriptorem, quem in narrandis rebus ab Hamilcare gestis secutus est, admiratione Hamilcaris invenisset affectum.

Ne vero quispiam mihi obiiciat verisimillimum esse Diodorum ex eodem fonte et belli Punici alterius historiam et res ab Hamilcare, Hasdrubale, Hannibale in Hispania gestas desumsisse, statim ea, quae Diodorus hac de re narravit, comparabimus cum iis, quae Appianus in „Hispanicis" quae vocantur attulit. Demonstrabimus enim postea in describendo bello Punico altero Diodorum eundem fontem atque Appianum adhibuisse. Nihilo autem minus in narrandis iis, quae ab Hamilcare in Hispania gesta sunt, Diodorus et Appianus in diversas partes discedunt. Atque maxima quidem inter Diodorum et Appianum differentia ea est, quod alter, Appianus, in eius libri, quo de rebus Hispanicis egit, cap. 5 Hamilcarem narrat, cum Carthaginiensium acies curribus inflammatis disturbata esset, ab Hispanis occisum esse, id quod Zonaras quoque lib. VIII cap. 19 tradidit, Diodorus vero, quamquam et ipse Hispanorum artificio Carthaginienses victos esse dicit, tamen curruum incensorum mentionem non facit, sed Orissonem regem Barcae se esse amicissimum simulantem subito Carthaginienses ab tergo adortum esse narrat; ita factum esse, ut Carthaginienses terga verterent, Hamilcarem fugientem, cum amnem pervehi vellet, undis abreptum esse.

Quodsi in his inter Diodorum et Appianum summa extat differentia, Diodorum non eodem fonte in bello Punico altero describendo et in illis fragmentis usum esse necesse est putemus, quia apud Appianum quidem rerum ab Hamilcare in Hispania gestarum narratio arctissime cohaeret cum iis, quae de bello Punico altero traduntur.

Ex iis igitur, quae disputavimus, cum Diodorum non solum ea, quae de bello Punico primo narrat, sed etiam ea, quae de rebus ab Hamilcare in Hispania gestis tradidit, ex Philino desumsisse appareat, nunc ad ea Diodori fragmenta tractanda transibimus, quibus mercennariorum militum Carthaginiensium seditio describitur. Atque haec quidem fragmenta ex Polybio

desumta esse luculentissime, si singulos locos inter se comparaverimus, elucebit. Ante omnia enim videtur alterum lib. XXV fragmentum (exc. Hoesch. p. 509) conferendum esse cum duodevicesima paragrapho lib. I cap. 67 Polybii. Verba autem haec sunt.

Polybius.	Diodorus.
ἦcαν γὰρ οἱ μὲν Ἴβηρες, οἱ δὲ Κελτοὶ, τινὲς δὲ Λιγυςτῖνοι καὶ Βαλιαρεῖς, οὐκ ὀλίγοι δὲ μιξέλληνες, ὧν οἱ πλείους αὐτόμολοι καὶ δοῦλοι. τὸ δὲ μέγιςτον μέρος αὐτῶν ἦν Λίβυες.	ὑπῆρχον γὰρ οἱ μετὰ Καρχηδονίων στρατευςάμενοι Ἴβηρες, Κελτοὶ, Βαλεαρεῖς, Λιγυςτῖνοι, Φοίνικες καὶ μιξέλληνες δοῦλοι, οἳ καὶ ἐςταςίαςαν, Λίβυες.

Deinde insequens fragmentum (exc. d. virt. et vit. p. 567) comparetur cum decima Polybii paragrapho lib. I cap. 81.

Polybius.	Diodorus.
πρὸς τοὺς ἠςεβηκότας κήρυκας ἐξαπέςτελλον περὶ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναιρέςεως· οἱ δ᾽ οὔτε ἔδοςαν, προεῖπον τε τοῖς παροῦςι, μήτε κήρυκα πέμπειν πρὸς ςφᾶς μήτε πρεςβευτὴν ὡς τῆς αὐτῆς κολάςεως ὑπομενούςης τοὺς παραγενομένους, ἧς νῦν Γέςκων ἔτυχεν.	οἱ Καρχηδόνιοι ἐξαπέςτειλαν πρὸς τοὺς ἀποςτάντας κήρυκα τὴν τῶν νεκρῶν ἀναίρεςιν αἰτούμενοι· οἱ δὲ περὶ τὸν Cπόνδιον ἡγεμόνες ἐντείνοντες τὴν ἀποθηρίωςιν (conf. Pol. I, 79, 11 ὡς εἰς τέλος ἀποθηριώςαιεν) οὐ μόνον ἀντεῖπον περὶ τῆς ταφῆς, ἀλλὰ καὶ διηπειλήςαντο μηκέτι πέμπειν μηδένα κήρυκα περὶ μηδενὸς πρὸς αὐτοὺς ὡς τῆς αὐτῆς κολάςεως γενομένης τῷ παραγενομένῳ.
πρὸς δὲ λοιπὸν ἐδογματοποίηςαν, ὃν μὲν ἂν λάβωςι Καρχηδονίων, τιμωρηςαμένους ἀποκτείνειν, ὃν δ᾽ ἂν τῶν ςυμμαχούντων αὐτοῖς, ἀποκόψαντας τὰς χεῖρας αὖθις εἰς Καρχηδόνα ἀποπέμπειν.	εἰς δὲ τὸ λοιπὸν ἐνομοτέθηςαν, τῶν αἰχμαλώτων τοὺς μὲν Καρχηδονίους τῆς αὐτῆς ἀξιοῦν τιμωρίας, τοὺς δὲ ςυμμαχοῦντας Φοίνιξιν χειροκοπεῖν καὶ πέμπειν ἠκροτηριαςμένους εἰς τὴν Καρχηδόνα.

Summa quoque similitudo inter quartum Diodori fragmentum (exc. vatic. p. 55) et Polybii paragraphum 26 lib. I cap. 84 intercedit.

Polybius.	Diodorus.
τοῖϲ δὲ περὶ τὸν Μάθω καὶ Cπένδιον οὐχ ἧττον πολιορκεῖϲθαι ϲυνέβαινεν ἢ πολιορκεῖν. ἐν οἷϲ καιροῖϲ ϲυνέβη ταῖϲ μὲν ἐπιβολαῖϲ καὶ τόλμαιϲ μηδὲν αὐτοὺϲ λείπεϲθαι τῶν ὑπεναντίων, διὰ δὲ τὴν ἀπειρίαν πολλάκιϲ ἐλαττοῦϲθαι.	διὸ καὶ τοῖϲ ἀποϲτάταιϲ οὐχ ἧττον πολιορκεῖϲθαι ϲυνέβαινεν ἢ πολιορκεῖν. ϲυνέβαινε δὲ ταῖϲ μὲν τόλμαιϲ αὐτοὺϲ μὴ λείπεϲθαι τῶν πολεμίων,· διὰ δὲ τὴν ἀπειρίαν τῶν ἡγεμόνων μεγάλα βλάπτεϲθαι.
Polyb. (ibid.)	Diod. (ibid.)
τότε γὰρ ἦν ϲυνιδεῖν ἐπ' αὐτῆϲ τῆϲ ἀληθείαϲ, πηλίκην διαφορὰν ἔχει ἐμπειρία μεθοδικὴ καὶ ϲτρατηγικὴ δύναμιϲ ἀπειρίαϲ καὶ τριβῆϲ ἀλόγου καὶ ϲτρατιωτικῆϲ.	τότε ϲυνιδεῖν ἐϲτιν ἐπ' αὐτῆϲ τῆϲ πείραϲ, ἡλίκην ὑπεροχὴν ἔχει ϲτρατηγικὴ ϲύνεϲιϲ ἰδιωτικῆϲ ἀπειρίαϲ καὶ τριβῆϲ ἀλόγου καὶ ϲτρατιωτικῆϲ.

Nec non Diodori fragmentum quintum (exc. vatic. p. 55, 56) comparandum est cum Polybii prima l. I. cap. 86 paragrapho.

Polybius.	Diodorus.
τοῦ δαιμονίου τὴν οἰκείαν ἀμοιβὴν αὐτοῖϲ ἐπιφέροντοϲ τῇ πρὸϲ τοὺϲ πέλαϲ ἀϲεβείᾳ καὶ παρανομίᾳ.	τὸ γὰρ δαιμόνιον, ὡϲ ἔοικε, ταύτην ἀμοιβὴν τῶν ἀϲεβημάτων αὐτοῖϲ ἐδικαίωϲεν.
ibid.	ibid.
τοὺϲ περὶ τὸν Cπένδιον αἰχμαλώτουϲ ἐϲταύρωϲαν. οἱ περὶ τὸν Μάθω — ἔλαβον ζωγρείᾳ Ἀννίβαν — τοῦτον πρὸϲ τὸν τοῦ Cπενδίου ϲταῦρον ἀγαγόντεϲ καθεῖλον.	τὸν Cπόνδιον ἀνεϲταύρωϲεν Ἀννίβαϲ. ὁ δὲ Μάθωϲ Ἀννίβαν αἰχμάλωτον λαβὼν εἰϲ τὸν αὐτὸν ϲταῦρον προϲήλωϲεν.
Polyb. I, 86, 12	Diodor. (ibid.)
τῆϲ τύχηϲ ὥϲπερ ἐπίτηδεϲ ἀμφοτέροιϲ διδούϲηϲ ἐναλλὰξ ἀφορμὰϲ εἰϲ ὑπερβολὴν τῆϲ κατ' ἀλλήλων τιμωρίαϲ.	ὥϲτε δοκεῖν τὴν τύχην ὥϲπερ ἐπίτηδεϲ ἐναλλὰξ τὰϲ εὐημερίαϲ καὶ τὰϲ ἥτταϲ ἀπονέμειν τοῖϲ περὶ τὴν φύϲιν ἠϲεβηκόϲιν.

Denique tertia fragmenti V paragraphus comparetur cum undevicesima paragrapho l. I. cap. 88.

ἡ δὲ τῶν Ἱππακριτῶν καὶ τῶν Ἰτυκαίων πόλις ἔμενον οὐδεμίαν ἀφορμὴν ἔχουσαι πρὸς διάλυσιν διὰ τὸ μή σφισι καταλείπεσθαι τόπον ἐλέους μηδὲ συγγνώμης κατὰ τὰς πρώτας ἐπιβολάς. οὕτω κατὰ τὰς ἁμαρτίας μεγάλην ἔχει διαφορὰν ἡ μετριότης καὶ τὸ μηδὲν ἀνήκεστον ἐπιτηδεύειν ἑκουσίως.

ὅτι δύο πόλεις οὐδεμίαν ἀφορμὴν εἶχον πρὸς διάλυσιν διὰ τὸ μὴ καταλελοιπέναι σφισὶν ἐλέῳ μηδὲ συγγνώμῃ τόπον τινὰ κατὰ τὰς πρώτας ἐπιβολάς· οὕτω κατὰ τὰς ἁμαρτίας μεγάλην ἔχει διαφορὰν ἡ μετριότης καὶ τὸ μηδὲν ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐπιτηδεύειν.

Vt igitur hoc loco ita in componendo fragmento XIII (excerpt. Hoeschel. p. 511, 512) quoque, quo pugnae anno a. C. n. 225 a Romanis cum Gallis commissae describuntur, Diodorus secutus est Polybium, quamquam sane aliqua ex parte ab eo differre videtur. Polybius [56]) enim duas pugnas commemorat, quarum altera Galli, altera Romani superiores fuerint, Diodorus vero tria proelia commissa esse dicit, bis Romanos adversa fortuna usos esse et altero proelio vel consulem alterum amisisse, tertio denique proelio Romanos victores extitisse. Quae differentia ita facillime explicari posse videtur, ut statuamus, Diodorum ideo ter pugnatum esse narrasse, quia Gallorum aciem utrinque a Romanorum consulibus impugnatam esse Polybius dixerit. Haud enim semel Diodorus in utroque exercituum cornu pugnatum esse respiciens duo proelia facta esse narrat, quamquam aliunde unum fuisse scimus. Multo autem rectius hoc loco bis a Romanis pugnatum esse dicit, quia sane uterque erat consularis exercitus. Atque cum alterius exercitus consul occidisset, hoc loco male rem a Romanis gestam esse optimo iure narrare poterat.

Revera autem illud fragmentum ad Polybium esse referendum inde certissime concluditur, quod Diodorus Romanis tunc fuisse septingenta millia peditum et septuaginta millia equitum dicit, qui numeri quomodo sint explicandi, nemo certe intelleget, nisi Polybii rationem habuerit. Is enim diligentissime, quot milites illo tempore Roma comparare potuerit, exponens singulis exercitus partibus enumeratis his verbis omnium Romae militum summam exprimit: τὸ δὲ σύμπαν πλῆθος τῶν δυναμένων ὅπλα

56) Polyb. l. II cap. 23—31.

βαστάζειν αὐτῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων πεζῶν μὲν ὑπὲρ τὰς ἑβδομήκοντα μυριάδας, ἱππέων δὲ εἰς ἕπτα μυριάδας.

Praeterea autem Diodorus et Polybius in eo quoque consentiunt, quod 40,000 Gallorum interfectos, alterum Gallorum regum captum alterum suis manibus necatum esse narrant.

Is vero numerus, quo, quantus fuerit Gallorum exercitus, indicatur, corruptus esse videtur. Diodorus enim Gallorum fuisse dicit ducenta millia. Cum autem Polybius peditum 50,000 et equitum 20,000 numeret, in codicibus Diodori numeri 70 signum ο′ confusum esse puto cum hoc signo σ′, quo numerus 200 indicatur.

Quod autem Diodorus Aemilium φρούρια ἑλεῖν dicit, quod Polybius non commemorat, id nulli mihi videtur esse momenti, praesertim cum Diodorus hoc ipso loco Polybiana voce utatur: ἐπλήρωσε πολλῆς ὠφελείας.

Accedit quod fragmentum XVI (exc. Vat. p. 56, 57) quoque utique ad Polybium est referendum, qui lib. III cap. 33 prorsus iisdem verbis atque Diodorus usus est. Haec enim dicit uterque.

Polybius.	Diodorus.
ὁ πρεσβύτατος αὐτῶν δείξας τοῖς ἐν τῷ συνεδρίῳ τὸν κόλπον, ἐνταῦθα, ἔφη, καὶ τὸν πόλεμον καὶ τὴν εἰρήνην φέρω. ἐκβαλὼν οὖν, ὁπότερον ἂν κελεύσωσι, ἀπολείψειν· ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν Καρχηδονίων, ὁπότερον αὐτοῖς φαίνεται, τοῦτ᾽ ἐκβαλεῖν ἐκέλευεν· τοῦ δὲ Ῥωμαίου φήσαντος τὸν πόλεμον ἐκβαλεῖν, ἀνεφώνησαν ἅμα καὶ πλείους τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου φάσκοντες δέχεσθαι.	ὁ πρεσβύτατος τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης ἐκπεμφθέντων πρεσβευτῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ τῶν Καρχηδονίων δείξας τῇ γερουσίᾳ τὸν κόλπον ἔφησε φέρειν αὐτοῖς καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὸν πόλεμον. ἀπολείψειν οὖν τούτων, ὁπότερον ἂν οἱ Καρχηδόνιοι βουληθῶσι· τοῦ δὲ τῶν Καρχηδονίων βασιλέως εἰπόντος ποιεῖν αὐτόν, ὁπότερον ἂν βούλοιτο, ἔφη, τὸν πόλεμον ἀφίημι, τῶν δὲ Καρχηδονίων εὐθὺς οἱ πλείους ἀνεβόησαν δέχεσθαι.

Ceterum Polybium quoque haec verbotenus fere ex fonte suo desumpsisse, si Appiani verba cum Polybianis comparamus, videmus.

Appianus enim in eius libri, quo de rebus Hispanicis egit,

capite 13 haec exhibet: ὁ μὲν πρεσβευτὴς τὸν κόλπον ἐπιδεικνὺς, ἐνταῦθ' ὑμῖν, ἔφη, ὦ Καρχηδόνιοι, καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὸν πόλεμον φέρω. ὑμεῖς δ' ὁπότερα αἱρεῖσθε, λάβετε. οἱ δ' ἔφασαν· σὺ μὲν οὖν, ἃ βούλει δίδου· προτείναντος δὲ τὸν πόλεμον ἐξεβόησαν ὁμοῦ πάντες, δεχόμεθα.

Praeterea autem ex uno eorum fragmentorum, quae ad bellum Punicum alterum pertinent, in hoc bello describendo Diodorum non prorsus quidem neglexisse Polybium concludere nobis licet. Enunciati enim primi fragmenti (exc. d. virt. et vit. p. 569) 24 l. XXVI: οὐκ εἴασε τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀρετὴν ἀνεπισήμαντον subiectum esse „ὁ Πολύβιος“ recte perspexit Carolus Mueller. Nam Polybius in altero libri XI fragmento Hasdrubal quantopere de patria meruerit, praedicans, Diodoro exemplo fuisse videtur in scribendo illo fragmento, quod, quamquam Diodorus non ea diligentia, qua solet, Polybii verba imitando expressit, tamen ad Polybium referendum esse, si horum scriptorum verba inter se comparaverimus, apparebit.

Polybius.	Diodorus.
Ἀσδρούβας δὲ καὶ τὸν πρὸ τούτου χρόνον καὶ κατὰ τὸν ἔσχατον καιρὸν ἀνὴρ ἀγαθὸς γενόμενος ἐν χειρῶν νόμῳ κατέστρεψεν τὸν βίον. ὃν οὐκ ἄξιον ἀνεπισήμαντον παραλιπεῖν. ὅτι μὲν ἀδελφὸς ἦν Ἀννίβου κατὰ φύσιν καὶ διότι χωριζόμενος εἰς τὴν Ἰταλίαν τούτῳ τὰς κατὰ τὴν Ἰβηρίαν πράξεις ἐνεχείρισεν, ταῦτα μὲν ἡμῖν εἴρηται. παραπλησίως δὲ καὶ διότι πολλοῖς μὲν χρησάμενος ἀγῶσι πρὸς Ῥωμαίους, πολλαῖς δὲ καὶ ποικίλαις περιστάσεσι παλαίσας διὰ τοὺς ἐπαποστελλομένους ἐκ Καρχηδόνος εἰς Ἰβηρίαν στρατηγοὺς, ἐν πᾶσι τοῖς εἰρημένοις καιροῖς ἀξίως μὲν τοῦ πατρὸς Βάρκα καλῶς δὲ καὶ γενναίως τὰς περιπετείας καὶ ἐλαττώσεις διετέλει φέρων.	ὅτι οὐκ εἴασε τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀρετὴν φημὶ δὴ τοῦ Ἀσδρούβου ἀνεπισήμαντον ἀλλά φησιν· ἦν γὰρ υἱὸς Ἀμίλκου τοῦ Βάρκα μὲν ἐπικαλουμένου —. τούτου δ' ὢν πατρὸς, οὐκ ἀνάξιον παρείχετο ἑαυτὸν τῆς ἐκείνου δόξης. Ὁμολογουμένως γὰρ ἄριστος ἦν στρατηλάτης ἁπάντων Καρχηδονίων μετὰ τὸν ἀδελφὸν Ἀννίβαν. διὸ καὶ τῶν ἐν Ἰβηρίᾳ δυνάμεων Ἀσδρούβαν κατέλιπεν ἡγεμόνα· πολλὰς δὲ μάχας ἀγωνισάμενος κατὰ τὴν Ἰβηρίαν καὶ διὰ παντὸς ἐκ τῶν ἐλαττωμάτων ἀναλαμβάνων τὰς δυνάμεις, πολλοὺς καὶ παντοίους ὑπέμεινε κινδύνους.

Reliqua vero Diodori fragmenta, quae ad bellum Punicum alterum pertinent, fere omnia ad eundem scriptorem referri possunt, quo Appianus in describendo bello illo usus est.

Et primum quidem Diodorus Saguntinorum interitum describens ab iis, quae Polybius lib. III cap. 17 narrat, satis abhorret. Is enim neque opes a Saguntinis combustas esse neque mulieres et sibi ipsis et liberis mortem conscivisse commemorat. Apud Appianum vero utrumque legitur, cuius singula quoque verba Diodoreis simillima sunt.

Appian. hispan. c. 12.	Diodor.
Ζακανθαῖοι δὲ τὸν μὲν χρυσὸν καὶ ἄργυρον — ἐς τὴν ἀγορὰν συνήνεγκαν καὶ χαλκῷ καὶ μολύβδῳ συνεχώνευσαν ὡς ἀχρεῖον Ἀννίβᾳ γενέσθαι, αὐτοὶ δὲ ἐξέδραμον· μακροῦ δὲ τοῦ ἀγῶνος γενομένου Λιβύων μὲν ἀπώλοντο πολλοί, Ζακανθαῖοι δὲ πάντες. αἱ δὲ γυναῖκες ἑαυτὰς ἀνήρτων — αἱ δὲ καὶ τὰ τέκνα προκατέσφαζον.	Ζακανθαίων δὲ ἡ πόλις πολιορκουμένη ὑπὸ Ἀννίβα, συναγαγόντες τὰ ἱερὰ καὶ τὸν χρυσὸν καὶ ἄργυρον — χωνεύσαντες ἔμιξαν χαλκὸν καὶ μόλυβδον καὶ ἄχρηστον ποιήσαντες τὸν χρυσὸν ἐξῆλθον καὶ ἡρωικῶς ἀγωνισάμενοι πάντες κατεκόπησαν πολλοὺς δὲ καὶ αὐτοὶ φονεύσαντες. Αἱ δὲ γυναῖκες τὰ τέκνα φονεύσασαι ἑαυτὰς δι' ἀγχόνης ἀπέπνιξαν.

Deinde inter Diodori fragmentum XIV (exc. d. virt. et vit. p. 568, 569) et Appiani caput 28 eius libri, quo de bello Hannibalico egit, summa intercedit necessitudo. Ibi enim Hannibalem cum post pugnam Cannensem captivorum redimendorum facultate senatui praebita repulsam tulisset, qui fuerint inter Romanos propinqui, eos, ut singulare certamen subirent, coegisse narratur; id quod Appianus his verbis exprimit: πατέρας υἱοῖς ἀδελφοὺς ἀδελφοῖς μονομαχεῖν ἠνάγκασεν, Diodorus hisce: ἀδελφοὺς μὲν ἀδελφοῖς πατέρας δὲ υἱοῖς συγγενεῖς δὲ συγγενέσι μονομαχεῖν ἠνάγκασεν.

Quod vero Diodorus, Romanos, ut alter alterum invaderet, ne gravissimis quidem suppliciis commotos esse adiecit, hac ex re Diodorum non eo fonte usum esse, quo Appianus, si quis concluderet, falso concluderet. Non uno enim loco videmus Diodorum, quo magis ad emendandos hominum mores valeret quo clariora exempla proponeret imitanda, narrationi suae eius

modi res, quibus aut honestum aut pravum cumularetur atque fieret dilucidius, inseruisse, quamquam apud eum scriptorem, quem secutus est, eas non inveniebat.

Quam consuetudinem ut exemplis probemus, fragmento XVI (exc. d. virt. et vit. 568, 569) Hannibalem, cum milites Sempronii corpus dilacerare vellent, ne id fieret, vetuisse magnisque cum honoribus Sempronium sepelivisse narratur. Appianus vero et Livius ut in ceteris rebus cum Diodoro consentiunt, ita in ea ab eo differunt, quod milites Sempronii corpus violare voluisse non commemorant.

Eadem autem ratio est lib. XXVII fragmenti 12 (exc. Vat. p. 63—66) quo, quam subdole Carthaginienses in Scipionis legatos sese gesserint, describens numine deorum factum esse dicit, ut Carthaginiensium legati Roma redeuntes tempestate in Scipionis castra deferrentur, unde Scipio eos integros Carthaginem miserit. Qua in re cum Diodorus prorsus consentiat et cum Appiano et cum Livio et cum Zonara et cum Polybio, reliqua, quae a Diodoro solo afferuntur, ab ipso inventa esse apparet. Dicit enim Scipionis milites voluisse Carthaginiensium legatos caedere, quod ideo adiectum est, quo magis Scipionis humanitas eluceret.

Nam haec ex eo scriptore desumta esse, quem Appianus quoque in describendo bello Punico altero secutus est, ex magna ea similitudine concludere debemus, quae inter Diodori et Appiani verba extat.

Appian. Punica cap. 34.	Diodor.
οἱ δὲ καὶ πρέcβειc αὐτοῦ κρατεῖν ἐπενόουν· — ἀλλὰ τούcδε μὲν — ἐξείλοντο τοῦ πλήθουc καὶ προύπεμπον δύο τριήρεcιν· ἕτεροι δὲ ʼΑcδρούβαν τὸν ναύαρχον ἔπειcαν, ὅταν ἀποcτῶcι αἱ πρόπομποι τριήρειc, ἐπιθέcθαι ταῖc τοῦ Cκιπίωνοc· καὶ ὁ μὲν ἐπέθετο.	ὁ Cκιπίων ἀπέcτειλε πρὸc Καρχηδονίουc πρέcβειc· οἱ δʼ ὄχλοι παρʼ ὀλίγον αὐτοὺc ἀνεῖλον· οἱ δὲ cυνέcει διαφέροντεc τούτουc ἐξήρπαcαν καὶ μετὰ τριήρων ἐξέπεμψαν. οἱ δὲ δημοκρατοῦντεc τὸν ναύαρχον παρεκελεύcαντο, ὅταν αἱ παραπέμψαcαι τριήρειc ἀναcτρέψωcιν, ἐπιπλεῦcαι τοῖc πρεcβευταῖc καὶ πάνταc ἀποcφάξαι· ὃ καὶ γέγονεν.

ibid.

οἱ μὲν ἐξέπλεον καὶ ὑπὸ τοῦ χειμῶνος ἐς τὸ τοῦ Σκιπίωνος στρατόπεδον κατήγοντο. Σκιπίων δὲ — οὐδὲν ὅμοιον, ἔφη, ταῖς Καρχηδονίων ἀπιστίαις, ἀλλ᾽ ἀπέπεμπε ἀπαθεῖς.

ibid.

οἱ γὰρ — πρεσβευταὶ ἀναστρέφοντες ὑπὸ χειμῶνος κατηνέχθησαν εἰς τὸν τῶν Ῥωμαίων ναύσταθμον. — ὁ Σκιπίων οὐκ ἔφη, δεῖ πράττειν, ἃ τοῖς Καρχηδονίοις ἐγκαλοῦσιν. οὗτοι μὲν οὖν ἀφεθέντες διεσώθησαν εἰς τὴν Καρχηδόνα.

Legati illi, quos Diodorus et Appianus hoc loco commemorant, a Scipione Carthaginem missi erant propterea quod frumentariae nonnullae naves Romanorum a Carthaginiensibus inter indutias direptae erant, quam rem Diodorus fragmento XI (exc. Vat. p. 62) et Appianus Punicorum cap. 34 prorsus eadem ratione describunt.

Appian.

Καρχηδονίων δὲ ὁ δῆμος ἀγορὰν Σκιπίωνος ὑπ᾽ ἀνέμων κατενεχθεῖσαν εἰς Καρχηδόνα διήρπασαν. πολλὰ τῆς βουλῆς ἀπειλούσης καὶ παραινούσης μὴ λύειν συνθήκας ἄρτι γεγενημένας. οἱ δὲ — καὶ τὸν λιμὸν ἔφασαν ἐνοχλεῖν ὑπὲρ τὰς παραβάσεις.

Diodor.

τοῖς Καρχηδονίοις σιτοδείας ἐπιπεσούσης οἱ καχέκται τῶν πολιτῶν ἐπιθυμοῦντες λῦσαι τὴν εἰρήνην προυτρέψαντο τὸν δῆμον ἐπιπλεῦσαι ταῖς ναυσὶ καὶ τὸν σῖτον κομίσαι εἰς λιμένα· τῆς δὲ γερουσίας οὐκ ἐώσης λῦσαι τὰς συνθήκας, οὐδεὶς ἐπήκουσε· τὴν γὰρ κοιλίαν οὐκ ἔφασαν ἔχειν ὦτα.

Deinde fragmentum X (exc. d. virt. et vit. p. 571, 572) quoque cum Appiani Punicorum cap. 33 comparandum est.

Appian.

καὶ τετρακισχιλίους αὐτομόλους ἱππέας αὐτῷ προσφυγόντας, οἳ Σύφακος ὄντες τότε ἐγίγνοντο Μασσανάσσου, κατηκόντισεν ὑποπτεύσας· τοὺς δ᾽ ἵππους διέδωκε τῷ στρατῷ.

Diodor.

ὅτι αὐτόμολοι ἦλθον πρὸς Ἀννίβαν τετρακισχίλιοι ἱππεῖς· οὗτοι δὲ τοῦ Σύφακος πταίσαντος πρὸς Μασσανάσσην ἦσαν ἀφεστηκότες. ὁ δὲ ὀργισθεὶς αὐτοῖς περιέστησε δύναμιν καὶ πάντας κατακοντίσας διέδωκε τοὺς ἵππους τοῖς μεθ᾽ αὑτοῦ στρατιώταις.

Neque vero silentio praetermittendum est fragmentum IX (exc. d. virt. et vit. p. 571, 572) simillimum esse capiti 59 eius libri, quo de bello Annibalico egit Appianus.

Appian.	Diodor.
αὐτὸς δὲ ὁ Ἀννίβας τοὺς συστρατευομένους οἱ τῶν Ἰταλῶν ἔπειθε πολλαῖς ὑπόσχεσιν ἐς τὴν Λιβύην αὐτῷ συστρατεῦσαι. καὶ τούτων οἱ μὲν εἵποντο, οἱ δ' ὤκνουν. ἀθροίσας οὖν τούσδε τοὺς ὑπομένειν ἀξιοῦντας περιέστησε τὴν στρατιὰν ὡπλισμένην ἄφνω καὶ προσέταξε τοῖς ἰδίοις ἀνδράποδα ἐξ αὐτῶν, ὅσα θέλουσιν, ἐπιλέξασθαι. τοὺς λοιποὺς κατηκόντισεν ἅπαντας ἐπικατέσφαξε δὲ αὐτοῖς καὶ ἵππους ἐς τετρακισχιλίους καὶ πλῆθος ὑποζυγίων.	Ἀννίβας συγκαλεσάμενος τοὺς συμμάχους ἐδήλωσεν ὡς ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτὸν διαβῆναι ἐς Λιβύην καὶ ἔδωκεν ἐξουσίαν αὐτῶν τοῖς βουλομένοις αὐτῷ συστρατεύειν. ἔνιοι μὲν εἵλοντο τὴν μετ' Ἀννίβου διάβασιν, τοῖς δ' ἡδομένοις τῇ ἐν Ἰτάλίᾳ μονῇ περιστήσας τὴν δύναμιν τὸ μὲν πρῶτον τοῖς στρατιώταις ἔδωκε ἐξουσίαν, εἴ τινα βούλοιντο ἐξ αὐτῶν λαμβάνειν δοῦλον, τοὺς δὲ λοιποὺς κατέσφαξεν ἄνδρας μὲν πρὸς δισμυρίους, ἵππους δὲ περὶ τρισχιλίους καὶ τῶν ὑποζυγίων ἀναρίθμητον πλῆθος.

Fragmento VII (exc. d. virt. et vit. p. 571, 572) quoque quae de Sophonisba et Massinissa narrantur, cum iis congruunt, quae apud Appianum in Punicorum, quae vocantur, capite 27 exstant. Denique inter ea verba, quibus Diodorus Plemminii scelus describit (exc. d. virt. et vit. p. 570, 571) et ea, quibus Appianus ad narrandam eandem rem utitur, aliquam certe similitudinem esse apparet, quamquam Appiani narratio est brevissima.

Appian. bell. Annib. c. 55.	Diodor.
Πλημίνιος ἐσύλησε λήγων καὶ τὸ τῆς Φερσεφόνης ἱερόν. καὶ τόνδε μὲν Ῥωμαῖοι μετὰ τῶν συναμαρτόντων αὐτῷ φίλων διέφθειραν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ καὶ τὰς περιουσίας αὐτῶν ἔδοσαν Λοκροῖς ἐς τὸν θησαυρὸν τῆς θεοῦ φέρειν. ὅσα δ' ἄλλα ἐδύναντο τῶν ἀπολωλότων ἀνευρόντες τὸ λεῖπον ἐκ τοῦ κοινοῦ σφῶν ταμιείου τῇ θεῷ προσέθεσαν.	Πλημίνιος τοὺς τῆς Φερσεφόνης θησαυροὺς ἀνασπάσας καὶ τὰ χρήματα συλήσας ἀπήνεγκε. § 7 εἰς δὲ Ῥώμην ἀπαχθέντος τοῦ Πλημινίου τοῦτον ἡ σύγκλητος ἐς φυλακὴν ἀπέθετο, καθ' ἣν αὐτὸν τελευτῆσαι συνέβη· τὴν δὲ οὐσίαν αὐτοῦ καθιέρωσε καὶ τὰ προσελλείποντα τῶν ἱεροσυληθέντων χρημάτων ἐκ τοῦ δημοσίου προσθεῖσα τῇ θεῷ καθιέρωσεν.

Ex iis quae disseruimus cum id quidem apparere videatur, Diodorum et Appianum in describendo bello Punico altero eodem fonte usos esse, iam eo progrediamur, ut, quisnam is fons fuerit, quaeramus; qua de re quid nobis dicendum sit, eo minus dubium est, quo planius et dilucidius Carolus Peter[57]) vir de hac, in qua versamur, literarum disciplina summopere meritus de Appiani fontibus egit.

Qui cum Appianum in bello Punico altero Sileni libros potissimum adhibuisse optime demonstraverit, Diodorum quoque hunc scriptorem secutum esse putabimus; id quod eo verisimilius est, quia nonnullis eius fragmentis res commemorantur, quae nisi apud Livium nusquam inveniuntur. Nam id quoque Carolus Peter probavit, Caelium Antipatrem, quo praeter Polybium Livius in describendo bello Annibalico usus est, Silenum non neglexisse.

Fragmenta autem eiusmodi sunt haece. Libri XXV fragm. 17 (exc. Vat. p. 56, 57) Victumelam urbem esse expugnatam narratur, id quod praeterea unus Livius l. XXI cap. 57 commemorat.

Deinde l. XXVI fragmentum 11, quo, quantum hiberna Capuana ad infringendas Carthaginiensium vires veluerint, exponitur, simillimum est paragrapho 12 l. XXIII cap. 18 Livii.

Praeterea nisi Diodori l. XXVI fragmento 17 (exc. Vat. p. 69) et Livii capite 22 l. XXV id senatusconsultum, quo Capuanis, si ad certam diem ad Romanos deficerent, impunitas est promissa, non commemoratur.

Denique Diodori fragmentum 20 (exc. Vat. p. 60) simillimum est Livii paragraphis 6 et 7 cap. 25 l. XXV.

Livius.	Diodor.
legati cum infulis et velamentis venerunt precantes, ut a caedibus et incendiis abstineretur. Marcellus edixit, ne quis liberum corpus violaret, cetera praedae futura.	τῶν Συρακοσίων μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς πόλωες ἀπαντησάντων Μαρκέλλῳ μεθ' ἱκετηρίας, τῶν μὲν ἐλευθέρων σωμάτων ἔφη φείδεσθαι, τὰς δὲ κτήσεις ἁπάσας διαρπάσαι.

57) Die Quellen des Livius im 21. und 22. Buch progr. Portense 1863 pag. 65.